

O R T U S
ET
PROGRESSUS SACRI ORDINIS

BIBLIOTeca
ASTRA
SERVU

Fratrum Minorum

S. P. N. FRANCISCI.

V. CANTHESESS ^{Dum} libri

UNIVERSA THEOLOGIA

Ad Mentem Doctoris Mariano-subtilis

JOANNIS DUNS-SCOTI

Sacratissimis Auspiciis S. & Apostolici Regis

Hungariae STEPHANI, Provinciae Transylvaniæ Fratrum
Minorum S. P. Francisci Strict. Observantie.

TITULARIS PATRONI

In Conventu Vetero-Claudiopolitano ad Nives Marianas
publicè propugnarent.

PP. FF. MARTINUS PETERFFI ET GABRIEL CSATO Ord. S. P. N.
Francisci Strictioris Observantie AA. LL. & Philosophie

Lectores Candidati.

P. RÆS I D E

P. F. MATTHÆO SÜKÖSD. ejusd. Ord. & Inst. SS. Theolo-
giæ Lectore Ordinario.

AUDITORIBUS OBLATUS.

Anno reparata Salutis Humanæ MDCCXLV. Die 30 Junii.

Claudiopoli Typis Academicis Societatis JESU per Michaëlem Beeskereki,

85183 -



THESES EX UNIVERSA THEOLOGIA.

I. **D**eum esse est veritas per se Nota. 2. Existentialia Dei etiam transmissio Athæis processu in infinitum demonstrabilis est , ex Creaturis collectivè sumptis. 3. Constitutivum ejus in esse Metaphysico est ipsum esse , seu existentia per essentiam. 4. Tam Relationes originis ab essentia , quam Attributa ab his , & inter se distingvuntur digna illa Doctore subtili Joanne Scoto Distinctione ex Natura rei formalis. 5. Deus Nequit ab oculo Corporeo videri. 6. Nec ab intellectu Creato comprehendi. 7. Inæqualitas visionis Beatificæ provenit tam ab inæqualitate Meritorum , quam inæqualitate Potentiæ Beatorum. 8. Beati defactò vident omnia formaliter Contenta in Deo. 9. Beatitudo objectiva est ipse Deus. 10. Formalis importat visionem , & fruitionem. 11. Deus Cognoscit futura contingentia absolute , in Decreto Condeterminante. 12. Conditionata verò in Decretis subjectivè absolutis , objectivè conditionatis , independenter à scientia Media antecedente omne Decretum voluntatis Divinæ. 12. Prædestinatio , seu electio ad gloriam ut Coronam sit ex Meritis absolute prævisis. 14. Reprobatio ob demerita absolute prævisa. 15. Mysterium Trinitatis Fides

des Catholica docet , tanquam initium salutis. 16. Con-
sistit in unitate essentiæ , & Trinitate Personarum 17. Tam
verbum quām Spiritus Sanctus est Natura Deus Consubstan-
tialis Patri. 18. Verbum dicitur Filius , quia procedit ab In-
tellectu per modum Naturæ , seu Naturaliter ; Spiritus S.
vero à voluntate liberè. 19. Dantur Angeli specie , & Nu-
rō distincti. 20. Ii secreta cordium nisi impedianter , Natu-
raliter cognoscere possunt. 21. Ignis infernalis in Angelos
malos , animásque damnatorum non agit actione physica Ma-
teriali. 22. Actus Humanus , est actus voluntariè , & liberè
elicitus , cum advertentia rationis ad Regulam Moralitatis.
23. Dantur actus in specie , & Numero indifferentes , ad
bonitatem , aut Malitiam moralem. 24. Peccatum est libera
Legis Divinæ transgressio. 25. Mortale in ratione offendæ
non est gravitatis infinitæ simpliciter. 26. Originale omnes
puri Adæ posteri contraxerunt solâ B. V. Maria exceptâ. 27.
Gratia sanctificans est habitus in substantia supernaturalis ,
indistinctus realiter ab habitu Charitatis Theologicæ. 28.
Justificat formaliter in actu 2do ex ordinatione divina. 29.
Merita per peccatum mortificata integrè reviviscunt. 30. My-
sterium Incarnationis est Unio duarum Naturarum Divinæ , &
Humanæ , in Unitate Suppositi Divini. 31. Non erat absolu-
tè Necessaria , supposito etiam hominis lapsu , aut Decre-
to reparandi hominem satisfactione Condigna. 32. Poterat
enim & hanc absolutè præstare pura Creatura in plenitudine
gratiæ Constituta. 33. Decretum Incarnationis Verbi præces-
sit quoad substantiam prævisionem peccati. 34. Venisset
proinde Christus etiam Adamo non peccante. 35. Assum-
psit verum & reale Corpus , & animam ejusdem speciei es-
sentialis cum nostris. 36. Mortuus est pro omnibus Homini-
bus Nullò exclusò. 37. B. V. Maria est vera Christi Homi-
nis & Dei Mater. 38. Licitæ , & Laudabilis est Invocatio ,
&

& Cultus sanctorum , & præ Cæteris digna cultu Hyperdulæ Deipara ante , in , & post partum Virgo . 39. Fides salvifica una est , Necesitate Mediæ Necessaria ad salutem . 40. Negans scienter unum articulum fidei sufficienter sibi propositum nequit ullum fide divina credere . 41. Vera Ecclesia est visibilis , indefectibilis , & infallibilis in articulis Fidei proponendis & decidendis . 42. Nequit dari instantaneum duorum dominium in solidum . 43. Plures per modum Causæ principalis concurrentes ad individuum dænum , in solidum restituere tenentur . 44. Sacraenta Novæ Legis sunt septem , omnia immediate à Christo instituta . 45. Imprentia Characterem sublata fictione per Pœnitentiam reviviscunt . 46. Causant Gratiam ex opere operato moraliter . 47. Baptismus omnibus , Pœnitentia lapsis in mortale in re , vel in voto sunt Necessaria absolute ad salutem . 48. In Sacramento Eucharistiæ realiter Continetur Corpus & sanguis Christi , sub speciebus Panis , & vini ; sub quibus ponitur actione transubstantiativa adductiva . 49. Sacramentum Pœnitentiæ Nequit esse Validum , & informe . 50. Cujus forma essentialis est : *Absolvo Te.*

O. A. M. D. G.

ORTUS PROGRESSUS SACRIORDINIS

Fratrum Minorum

S. P. N. FRANCISCI.

Annis DXXV. perdurantis

Ex Bullis Pontificiis, ac Probatissimis Authoribus ab A. R. P.

Fr. Massæo Kresslinger, Ord. Min. Strict. Observ. Lectore Jubilato,
ac Provinciæ Bavariæ iteratò Ex-Provinciali compen-
diosè conscriptus, qui

Alterâ hâc Editione

Sub Gratiissimis Auspiciis

EXCELLENTISSIMI D. COMITIS,
DOMINI

JOANNIS HALLER

DE HALLERSTEIN, Sac. Cæl. Regiæque
Cathol. Majest. CAMERARII Statûs ejusdem Actualis, &
Intimi CONSILIARII Principatûs Transylvaniæ, Partiumq; Hungariæ
eidem annexarum Regio-Principalis GUBERNATORIS, nec non Fratrum
Minor. Strict. Observ. dicti Principatûs Supremi SYNDICI APOSTOLICI,
Mecœnatis Munificentissimi, & Colendissimi, nomine Pro-
vinciæ Transylvaniæ lucem pulicam aspicit.

Cum Superiorum, ac Authoris expresso consensu excusus.

CLAUDIO POLI

Typis Academicis Societatis JESU, per Simonem Thadæum Weichenberg,
ANNO M. DCC. XXXVI.



EXCELLENTISSIME
DOM. COMES,
DOMINE PATRONE,
AC
ME COE NAS GRATIO-
SISSIME COLENDISSIONE.

QT Regina volucrum Aquila non
semper in sublimiori potestati suæ subje-
cta jucundatur regione æris, sed non raro
Majestatis quoque propriæ quasi oblita hu-
milibus terræ tuberculis insidet, & non minori spec-
tantium oculos afficit voluptate tantisper humiliata, quam

DEDICATIO.

antea excelsum secans æthera suspendebat admiratione.
Ita per se humiliari nescia, vel sumè procera querens,
ut à naturæ indole sibi insitum submissionis amorem
omnibus patefaciat, sæpè numerò tenellulæ sociatur hæ-
deræ, & plurimis hujus spiris tauquam vermiculatis
torquibus adornata in humili adamatæ conjugis sinu pla-
cidè conquiescit. O præclarum excelsi animi, nec ta-
men parva aspernantis typum, & exemplar! sed quor-
sum hoc è naturæ visceribus haustum argumentum?
nempè ut humile hocce Fratrum Minorum Mnemosy-
non, Tuum Excellentissime Domine veniens ad obtutum
pro innata Tua erga humilia propensione, nedum in sed
& tuearis. Nobis omnem dubitationis causam præci-
sam penitus intuemur clarissimè, dum fructum cum
arbore, optimum cum optimo conferimus; nam si bo-
num ex integra causa, ut Divinus loquitur *Dionysius*, Te
profectò Excellentissime Domine absquè cijusvis præjudi-
cio optimæ arboris germen optimum palam afferere quis
prohibeat? Majorum quippe Tuorum, exemplò rariùs
auditò, cuncta naturæ, & gratiæ decora in Te confluisse
non possumus non videre: adeò, ut de Te Nobis pô-
tiùs, quam suo de *Stilicone* mellitus cecinisse videatur
Claudianus:

- - - - - quæ sparguntur in omnes
In Te mixta fluunt, & quæ divisa beatos
Efficiunt collecta tenes - - -

A puero

DEDICATIO

A puerō tenerisque etiam fulgebat in annis.

Fortuna majoris bonos erectus & acer &c.

Vigent in Te gratiarum charites *Wilhelmi Haller*, de *Hallerstein* (dicti Senioris) qui tali virtutum choro septus erat, ut quadringentorum, & amplius Equitum, imò Heroum, è Nobilissimis congregatorum Familiis, & inter hos ipsos Halleriis longè cæteros superantibus supremus fuerit Capitaneus constitutus, dum *Henricum Imperatorum VI.* ab Inclyta Norimbergensi Civitate pro dignitate Imperatoria magnificè exceptum, illicque per aliquantum temporis comorantem, ac *Donauverdam* inde tevertentem magnificentissimè est comitatus.

Resplendet Tuo in pectore *Bertholdi Petri*, & *Udalrici Halleriorum*, ut in DEUM eximia Religio, ita, in proximum singulatis comiseratio; etenim correspondebat *Wilhelmo* non minus sangvine, ac *Illustri Grñnenbergensi* Præfecturā, propè Nirembergam, Inlytus *Bertholdus Haller*, qui non contentus dexterrima Reipublicæ administratione, pietatem, quam cum avito hauferat sangvine ære perenniori testatam Posteritati consignavit monumento; dum hæreditario suarum Possessionum in fundo Nobile (ad S. Crucem dictum) magnis sumptibus erexit Hospitale, seu Domum pietatis gratiâ extractam, ubi quot valitudinarii, pauperes, pupilli, Mendici, egeni, Infantes Parentibus destituti, senes, Peregrini, aut Advenæ indigentes perceperè flagrantis
chari-

DEDICATIO.

charitatis Christianæ subsidium, non nostrum est eloqui, sed consignatum retinent in mente æterna summi Numinis fasti rationum, in universali die Judicii centuplicato cum fœnore recensituri. Cùm porrò *Bertholdus* proximi sublevandis necessitatibus totum se se impendit, hunc felicissimus in Repub. Christiana Gemellus *Petrus Haller* de Ziegelstein, si non pari modō, æquali certè, ne majus dixerimus, votō superare admittitur: Elegantissimam enim Ecclesiam DEO, Divisq, ære propriō à fundamentis assurgere fecit, decue ejusdem fartis tectis conservandis, constantique fidelis Curati (ante hoc tempus illic non habiti) sustentatione providit sapientissimè.

Vidit hæc Inclytæ Familiæ Nobilis Propago *Udalricus Haller*, de Grünenberg, & in Grebren (damus loci nomen) nulli secundam, cum omnibus de jure requisitis fundavit Parochiam: sicque dum *Bertholdum*, & *Petrum* in subveniendo proximis, in cultu Divino adaugendo primos non relinquere non valuit, sanctissimā emulatione effecit non esse solos. Dies Nos deficiat *Exeellentissime Domine*, si singula Christianæ pietatis in avita Prosapia Tua monumenta recensere velimus. Neque tamen præterire possumus aliquos duntaxat Majorum Tuorum Heroas, eorumque meminisse: Enim verò si à Romani Orbis Imperatore cæteris anteferri pro immortalí penè gratia habetur, favore tamen hoc adeò potiebatur

DEDICATIO.

tiebatur *Georgius Haller*, de Hallerstein, ut *Henrici Imperatoris* animum suo quasi inclusum pectori gestasse visideretur. Haud minori fruebatur favore *Cæsareo Wolfgangus Haller*, de Hallerstein S. R. Imperii Eques, dum exquisita, ac denè incredibili tractandorum negotiorum, vel summè arduorum dexteritate id effecit, ut cum sui maximo nominis incremento Imperii, ac Imperatoris summo fructu à consiliis Romanæ Majestatis statueretur.

Et profectò, uti stella stellam claritate superat omnes tamen veræ stellæ sunt, sic in Tua *Excellentissime Domine* avita Majorum quaqua versùs diffusa propagine à DEO, stirpe, & sangvine, communicata virtus nunquam deficiens emicabat. Hæc enim *Wolfgangum Haller* de Liechtenau, promovente Imperatore *Maximiliano Oeniponti* in Album S.R. Imperii Equitum intulit. Hæc *Bartholomeum Haller* de Hallerstein, nedum pari condecoravit gloriæ Titulō, verùm etiam favore, non nisi maximis concedi solito, ab intimis consiliis Maximiliani Cæsaris constituit, & Regibus *Hungariae*, *Bohemiae*, *Sarmatiae*, ad quos Legati munere fungebatur reddidit æstimatissimum. Nolumus amplius *Excellentissime Domine* Majorum Tuorum pios Manes in hocce Prologo, debitis licet laudibus dignissimos, fatigare, ne quispiam regerat : Vetera ista sunt ; hoc ipso enim sanctiora, quod vetera ; bonis quippe meritis, factisque heroicis cum ætate, ut dignitas, ita & pondus accedunt. Atque

DEDICATIO.

que ut magnō natu Parentes magis, magisque in dies
veneramur, ac colimus, Fratrum verò æqualitas, & Li-
berorum Soboles blandiore licet, leviore tamen animos
tangit affectu, ita heroa virtus in antiquis eminens gra-
vitate prævalet, quamvis præfentia, aut minus distan-
tia plus oblectare videantur.

Sed etsi nihil de Majoribus Tuis dixissimus, & ad
Patrum duntaxat nostrorum memoriam aciem mentis
intenderemus, amabo! Quantus hic assurgit *Hallerio-*
rum numerus, quāmq; inclita virtutum materies pandi-
tur? quorum gesta singula, si quis enarrare, non dici-
mus exornare facundiā, cupiat, *Secundos, Pacatos, Na-*
zarios induat ille, est necesse. Et ut venerabundō si-
lentiō altiores in *Dacia* Majores Tuos prætereramus, en!
hodiedum obversatur oculis nostris *Ayus Tuus Joannes*
Haller, in quem, uti Sol & dies in hoce nostrum he-
misphærium, non parte aliqua, sed statim totus pro-
fertur, ita vera virtus omnis iñigrasse cernebatur. Hæc
illum Superis, Patriæ, Principi charum, ac venerabilem
reddidit, consiliis admovit, sapientiæ, miræque pru-
dentia ejus fructus sensit, carpsit, gustavit. Jāmque ad
eum honoris, & gloriæ apicem Heros hic Inclytus per-
venerat, ut non nisi bonis omnibus amori, & reveren-
tiæ esse posset, consceleratis verò odio, & indignationi
pateret. Hic ergo voluit, sive mala evenire non raro
sinens, sive electos suos, ut aurum in fornace probans,

Divina

DEDICATIO.

Divina providentia in invictum hunc Pugilem omnem
experiundæ virtutis arenam derivare. Etenim Vir ho-
noratissimus, integer vitæ, omnisque purus Sceleris,
ob conflictas iniquè causas (quas hic recensere calamus
renuit, pallorque chartæ aversatur, ne vel sic scelesto-
rum consiliorum participatione maculentur) è Palatio
in carceres rapitur, è libertate in captivitatem conjici-
tur, è dulcissimæ, vitaque sibi charioris Patriæ libero
cœlo in densas tenebras, fœdos antri squallores detur-
batur. Quis talia fando temperet à lachrymis? Stetit
tamen inconcussa virtus *Halleri*. næ fortitudinis, & D. Jo-
annis, cuius sanctum nomen præferebat exemplo, ut
hic sangvinarii Herodis, ita ille Sicariorum suorum tru-
culenta, dira, tyrañica facinora infractō pertulit animo,
superavit. Et quod mirere magis, nostrisque tempo-
ribus frustra quæsiēris, magni illius, inque Divorum
numerū relati Severini Boëtii exemplō, justæ molis librū,
omnigenam in quibus quibus adversis panopliam, *Cly-
peus Patientiæ* dictum Dacis popularibus suis scripsit,
communicavit. O macte virtutis Heroem! non hunc
Socrates, non Regum viator *Belisarius*, ambo innata vir-
tute sublimati, invidiâ iniquorum depresso in conse-
quenda fortitudinis palmæ superarunt. Fervet ani-
mus, & plura de hoc immortalis memoriæ Gloriosissi-
mo Avo Tuo, scribere cupientem calamum exacuit, ast
hunc sufflaminat *Stephanus Haller* (secundus ab illo Ste-
phano

DEDICATIO.

phano Haller Seniore, de quo pauca dicere detrahere fo-
ret) qui quantis, quibusvè politicarum virtutum or-
namentis præditus fuerit, loquitur, & loquetur Inclita
hæc Provincia Dacie, dum illum in summorum, con-
summatæque virtutis Procerum Regio Principalis sui Gu-
bernii Consiliariorum Album ardenter expetivit, felici-
ter est consecuta. Nihil dicimus de Hallerio Gabriele,
qui dum Tabulæ Regiæ, velut pretiosa gemma aureæ
Coronæ inseritur, dūmque omnium in se vota animos,
& corda rapit, tunc purpureus veluti cùm flos succisus a-
ratrio languescit moriens, ineluctabili fatorum vi è me-
dio dulcissimæ Patriæ simu eripitur, altiora cœlestis
Patriæ præmia virtutibus suis debita recepturus.

Et verò quemadmodùm concors Rotarum Horo-
logii discordia, discorsque concordia in id unum ab
Artifice ordinatur, ut unius indicis, tempora per horas,
& minuta partientis, rectum justumque motum cose-
quatur; ita perspicitoribus ingenii Halleriorum per
diversas Orbis Europæi Provincias diffusa virtus, ma-
gnum quid parturire haud iñeritò videri poterat in
quo uno aliorum virtutes, virtutumque præmia relin-
queret concentrata. Advertis, ut opinamur, Excel-
lentissime Domine Comes, quid sibi velit digressio isthæs
nostra, & tacitus cum celeberrimo reponis Ulysse

DEDICATIO.

Nam Genus, & Proavos, & quæ non fecimus ipsi
Non ea nostra voco - - - -

Hæc Tu quidem pro dignitatis Tuæ meritis ma-
ximis consecutæ, & à natura Parente Tibi insita Indole.
Ait longè alia nostra, aliorūmque sententia ; nam uti
reprehensione dignum est, ab avita Progenitorum vir-
tute degenerâsse, ita pulchrum Majorum virtutes , à
quibus vitam cum sanguine hauseris factis pro-
priis adæquâsse , superâsse longè pulcherrimum. Ag-
noscit hoc heroæ virtutis in Te fastigium *Dacia*, faten-
tur omnes recti rerum æstimatores, Provincia *Fratrum*
Minorum Strict. Observantia assentari nescia, puræ verita-
tis amica, publico isthoc Testimonio compertæ palam
notitiæ robur abdit.

Enim verò *Excellentissime Comes* ubi primum per
æstatem gravioris ponderis dignitates capessere poteras,
illico ad ardua *Tabulae Regiae* pertractanda negotia assump-
tus es : qua in virtutis Palæstra, quid Tua prudentiæ
juncta sagacitas, consumatæ maturitatî pulcherrimo fœ-
dere sociatum boni communis studiū , ardens erga
Populares Tuos, discretione temperatus, zelus effecere,
nostrum non est eloqui, dum & nobis silentibus luce
meridianâ clariùs facta contestantur. Visus es jam
tunc omnibus salutem communis Reipub. sic curare,
ut quæ sunt *Cæsar*is, *Cæsari*, qvæ sunt *DEI*, *DEO red-*
dere,

DBDICATIO.

dere, & quæ Proximi huic tribuere, non tam disceres,
quam doceres. Quo fiebat, ut quemadmodum virtus
Tua sese quaquaversum diffundens limites ignorabat,
ita gradus dignitatum meritis Tuis debiti, unus ex al-
tero fœcundo partu germinabant. Nam qui ad Tabu-
lam Regiam Alfejor fueras, mox ad Inclytæ Sedis Csiki-
ensis fastigium Regius Supremus Judex es electus : Et
quæ tunc Gentis Csikiadæ lætitia, quis jubilus, quod
gaudium ? fidelis ille credentium populus salvificæ
à Majoribus cum sangviue haustæ Religionis vitâ ipsâ
te nacior talem se Judicem consecutum lætabatur, qua-
les & optabat Præcedentes, & in votis habet successo-
res. Mirabantur omnes in Viro à Majorum sangvi-
ne celebratissimo , in Supremo Regii Judicatus apice
collocato comitatem, deprædicabant universi affabilita-
tem, in rebus quantumvis arduis, & implexis, acre
consilium , profundum judicium , Legum , & con-
suetudinum Patriæ, tenacem memoriam, lucidam ex-
planationem, justi , & æqui pro DEO , Patria , Po-
pulo constantem executionem laudibus in cœlum effe-
rebant. Nempè :

*Jam tunc canities animi, jam dulce loquendi ,
Pondus, & attonitus sermo, qui duceret aures. Cladiā.*

Destinabar is jam tum , aut potius manu Divinæ
providentiæ prædestinatus Comes Exeellentissime ad digni-
tatis

DEDICATIO.

tatis in *Dacia* gradum, Excellentissimum, ac post Regio-Principalem Majestatem secundum, vehebaris, qui ne longius, meritis quippe Tuis debitus, differretur, in intimum ac summum Regio-Principalis Gubernii Transylvaniæ à Consiliis es adscitus. Hac præfulgens dignitate, quæ qualiaque egeris, quam amans Patriæ, quam fidus Regi extiteris, quam mirificus in commune Bonum mentis Regiæ Interpres fueris

- - - - - *Oracula Regis*
Eloquiō crevère Tuo, nec dignius unquam
Majestas meminit sese Romana locutam. Claudian.

Dum verò nîl nisi justum, & æquum, nîl nisi Legibus Divinis, Patriisque consonans, dictis, factisque exequeris, Patriæ vota, & Regis animum, magneticâ quâdam virtute in Te rapuisti. Atque ita brevissimo tempore in *Consilium Regium venisti*, quid Regi, Regnóque expediat *vidisti*, & omnium animos *vicisti* factus felicitatis Dacicæ Cardo, & GUBERNATOR.

Dacia cerne Virum - - - - -
non illum præmia tantum
Quam labor ipse juvat, strepitus fastidit inanes
Inque animis Hominum pompâ meliore triumphat.
Claudian.

DEDICATIO.

Sed nos jam manum de Tabula, neque enim In-
clytæ Prosapiæ Tuæ, Tuique Excellentissime Gubernator
Panegyristas agere nobis propositum: cur verò lev-
densi (ut nonnullorum cysis effutire potest) hocce O-
pusculo Te coram compareamus reperies ipse Tu Gub-
ernator Excellentissime pag. 6. hujus Opellæ, ubi, &
quando legere dignaberis, causam, quam ante quinque
sæcula summum Ecclesiæ Caput JESU Christi Vicarius
Nicolaus III. sensit, prædixit, & oraculô suo palam
Orbi fecit. Molem exiguam Libelli, si spectetur
chartarum pondus, agnoscimus, ast argumenti vis,
rerum contentarum grata varietate mixta dignitas va-
stæ Bibliothecæ nucleus dici potest. Ut ut sit, non
tamen dedecet à Fratribus Minoribus parva vel maxi-
mis, & Excellentissimis dedicari. Quid tenello
Bombyce minus, quid humilius? hic tamen Pontifi-
cum Tiaris, Monarcharum, Regum, Principumque
Paludamentis conficiendis fundit stamina, materiem
subministrat, nec hæc tamen, quia ab humili ver-
miculo orta, à Maximis aspernatur.

Accedit hic Tua Gubernator Excellentissime verè
excelsa humiliatio erga nos Minores; nam ubi primùm
in secundo à Regio-Ptincipalis dignitatis apice collo-
catus es magnificentissimè, eodem quasi tempore non
im memor humanarum vicissitudinum, sublimitatis
Tuæ propè oblitus Fratrum Minorum, Syndicum Apo-
stolicum

DEDICATIO

stolicum induendo, protectionem suscepisti. Sacrum pectus! Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud Proverb. 21. Ita factum, ut quia Tu Gubernator *Excellentissime* sublimis non potes non esse, cum humilibus Minoribus, æternam imitatus sapientiam, delicias Tuas habere elegisti.

Patebit insuper *Excellentissime Domine*, ex lectio-
ne hujus opusculi omnibus dissonantibus (si qui tales reperirentur) à Tua verè Christiana mente, quorum tuendorum curam suscepseris, quorumque Protector,
& Defensor factus sis ; si enim Doctor Gentium Paulus, adeo iniquos, & calumniatores, & Judices Pas-
sus sit, ut ad Tribunal Cæsaris appellare debuerit, qui tamen signis, & portentis instantium præfulgebat, ut alicubi pro DEO cœlō delapso haberetur, quid nī & nobis meritò pertimescendum (mundus enim in pejus Metamorphosim pedetentim patitur) ne unde unde oborituris, malevolorum ictibus nudi latera pateamus.
Quibus porrò candida, & Christiana pietas mentes, & præcordia insedit, conspicient quid Seraphici Francisci humiliis Fratrum Minorum Posteritas de toto quā latè patet mundo in horreum Domini Sabaoth fructuum importavit. Fiet denique, ut ignorantes acta Fratrum Minorum erudiantur, gnari sua in notitia compendiosè exerceantur, Fautores Fratrum sciant, quibus cum fecerint, si qui verò sequioris essent à Minoribus animi,

DEDICATIO.

id quod malè insidet eorum mentibus ocyus deponent,
aut gravem manum Domini se non evasuros reformi-
dabunt, ut Salvator ipse homini ad imaginem, & si-
militudinem sui facto Francisco (de quo Turselinus

Exue Franciscum tunicā, lacerōque cucullō,

Qui Franciscus erat jam tibi Christus erit.

Francisci exuviis, si quā licet, indue Christum,

Jam Franciscus erit, qui modo Christus erat.)

In solitudine oranti revelare dignatus est sequentia pri-
vilegia largiendo, teste Gregorio IX. Summo Pontifice,
Primo ad præscriptum Regulæ nostræ Ordinis Prote-
ctore, ipsi Sancto, ut paternè, ita & piè usque in fi-
nem vitæ suæ devotissima familiaritate conjuncto, quæ
pius, & antiquus Asceta in hæc humilia metra dudum
collegit :

Francisco fundente preces, ut tempore longo

Mos inolevit ei, cœlestis Filius ipsum.

Talibus affatur, promitto quatuor, inquit,

Dona superna tibi, (1.) stabit tuus Ordo per ævum,

(2.) Nullus ibi Fratrum, cui sit perversa voluntas

Stare diu poterit, (3.) vix hostibus Ordinis hujus

Vivere dimidium præstabitur, (4.) ejus Amici

Vivent, & vitam concludent fine beatō.

Accipe igitur Comes Excellentissime parvulum
istud honori Tuo dicatum à Fratribus Minoribus O-
puscu-

DEDICATIO.

pusculum, tanquam perennis futuræ in Te piæ memoriæ tesseram, accipe inquam eō vultu, eō affectu, eō animô, nempè benignô, placido, & memori, ut haec tenus conservisti. Tuum quippe est, ut omnia nostra, & nos omnes Tuorum Clientum minimi, & dum Reipub. negotia sinent, tantisper gravium curarum onere pressum recrea animum rerum pro gloria DEI gestarum varietate, admirabili Divinæ Providentiæ, etiam per *Minores* grandia oberrantis, ordinazione, & certissima ob Tui erga eosdem propensionem tam temporali, quam æterna retributione. Quam dum Tibi animitus vovet, & exoptat, unà in dies singulos sacris suis in functionibus à Divina Clemencia exorat ferventissimè Tui Cliens studiosissima devotissima

Provincia FF. Minor. Strict.

Observantia S. Regis Apostolici
Stephani Transylvanica.

† † †

APPRO-

APPROBATIO

Censoris Reverendissimi Ordinariatus.

Cum ex Mandato Reverendissimi &c. Domini in Spiritualibus Pro-Vicarii &c. Lucubrationem Historicam, cui titulus est: *Ortus & Progressus Sac. Ordinis Fratrum Minorum S. P. Francisci &c.* à Plurimum Reverendo Patre Masseo Kresslinger Ord. Min. S. Francisci Reformatorum, SS. Theologiae, ac SS. Canonum Lectore Jubilato, Provinciae Bavariae iteratō Ex-Provinciali, ac Custode Actuali, ex probatis Authoribus utili & felici labore congestam relegerim, & in eadem veritate Fidei Orthodoxae, bonis moribus, aut SS. Canonum Decretis nihil adversari, benè vero succinctam, & tamen exactam, Seraphicæ Religionis, de Ecclesia Catholica undeque meritisimam, notitiam repererim, ideo eam quoque prælò dignissimam censeo. Frisingæ 20. Septemb. 1731.

L.S.

Franc. Joseph. Antonius Schmidt,
J. U. L. Reverendis. ac Serenis.
Princ. & Epis. Frising. & Ratisbon.
Consil. Eccles. Actualis, ac Insignis
Collegiatæ Ecclesiæ ad S. Andream
Frisingæ Canonicus.

APPRO-

APPROBATIO

Reverendissimi Ordinariatus Frisingensis.

Imprimatur :

Actum Frisingæ 20. Sept. 1731.

Joan. Bapt. Ignatius de Pfistern,
Cathol. Eccl. Frising. Canon.
Capitular. Concil. Eccl. Vice-
Præses, & Pro-Vicarius.

LICENTIA ORDINIS

Fr. Crescentius Krisper, Ord. Min. Strict. Observantiae
S.P.N. FRANCISCI Lect. Emerit. Scriptor Ord. ac totius
Cilmontanae Familiae Commiss. Gener. & Servus.

Dilecto Nobis plurimum in Christo R.P. Fr. Massæo Kresslinger,
nostræ Reform. Provinciæ Bavariæ Lectori Jubil. bis Ex-Provin-
ciali , atque actuali Custodi , Salutem & Seraph.
Benedictionem,

Cum juxta Apostolicas , nostrique Ordinis constitutiones , revi-
sum atque examinatum fuerit Opus quoddam à Te composi-
tum , cuius titulus est : *Ortus & Progressus S. Ordinis Fratrum*
Minorum S. Francisci , & ab eisdem deputatis Censoribus , publico
prælò dignum exsillatum . Nos tenore presentium Tibi facultatem

concedimus, quatenus illud, servatis alijs servandis, typis demandare possis; si ita &c. Datum Romæ ex Aracæli die 27. Mens. Octob. 1731.

Fr. Crescentius Krisper Comiss. Gen.

L.S.

De Mandato suæ Paternitatis Reverendissimæ
Fr. Gaudentius à Genua Sec. Gen.

...
FACULTAS
*A.R.P. Provincialis cum Privilegio
Cæsareo.*

Cum libellus iste de *Ortu & Progressu S. Ordinis Fratrum Minorum S. P. Francisci* ab A. R. P. Massæo Kresslinger. Leet. Jub. ac iteratò Ex-Provinciali, nec non Provinciæ Bavariæ Custode actuali, laboriosè & eruditè conscriptus, à Censoribus Theologis, ad id deputatis judicetur perutilis, & pro cognitione statûs hujus & Ordinis, tam antiqui, quam præsentis summopere commendabilis; Hinc Domino Joanni Andreæ de la Haye, Bibliopolæ Academicæ Ingolitadiensi, tenore præsentium, facultate mihi facta à Reverendissimo P. Commissario Generali Crescentio Krisper &c. licentiam præbeo eundem suis sumptibus imprimendi, ac distrahendi, ecommunicando simul Privilegium Cæsareum, vi cuius cautum est, ne libri à nostris Patribus editi imprimantur ac distrahantur citra eorum consensum, intra S. R. Impetii fines, ac hæreditariis Sac. Cæs. ac Cathol. Majestatis Provincias, idque pro prima illius editione. Actum Monachii 5. Dec. 1731.

Fr. Thomas Cantuar. Pruggmair,
Leet. Jub. Minister Provincialis.

CENSURA THEOLOGICA.

EX Mandato A. R. P. Thomæ Cantuar. Pruggmair, Lectoris Jub.
& Provinciæ Bavariæ Ministri Provincialis, Superioris Obser-
vandissimi, nos infra scripti Deputati ad censurandum librum,
cui titulus: *Ortus & Progressus Ord. FF. Min. S. Francisci*, sedulò il-
lum legimus, & legendō invenimus, eundem ab A. R. P. massæo Kress-
linger Ord. Min. S. Francisci Reform. Lectore Jubilato, bis Ex-Provin-
ciali, & Custode actuali, Religiosa cum modestia, magna cum pru-
dentia, & circumspectione ex probatissimis Authoribus clarè compo-
situm, nihil contra fidem & bonos mores, nec quidquam contra SS.
Canones aut Decreta Pontificia continere; bene verò compendiosam
quidem dunataxat, & succinctam, substantialem tamen & genuinam
præbere eruditionem de Ordine nostro Seraphico, indéque non tantùm
Ordinis nostri Alumnis, sed & aliis, præsertim sinistra informatione
& supposito imbutis, pro acquirenda memorati Ordinis Seraphici sub-
stantiali, eaque verâ notitiâ, lectu perutilem fore. Quare illum præ-
lô, & luce publica dignissimum censemus. Actum Monachii 23. Se-
ptemb. 1731.

Fr. Sigismundus Neudecker, Ord. Min. S.
Franc. Reform. SS. Theol. & SS. Canon.
Lect. Jub. Prov. Bavariae bis Ex-Provin-
cialis, & Præsidens actualis in Anger.

Fr. Gerardus Zetl, Lect. Gen. p.t. Con-
ventus Monacensis Guardianus


FACULTAS

*Adm. Reverendi Patris Ministri Provincialis
Transylvaniæ Fratrum Minorum Strictioris
Observantiae.*

Accedente consensu Authoris, ac legitima Majorum Authoritate in-
tra scriptus harum vigore Facultatem facio recudendi Opusculi,
quod

quod *Ortus & Progressus Sacri Ordinis Minorum S. P. N. Francisci* inscriptum est. In quorum fidem appressò Officii Sigillò, manu proprià subscripti, in Conventu nostro B. V. ad Nives. Claudiop. Annò 1735.
9. Augusti.

Fr. Ladislaus Bógozi Minister
Provincialis.



PRÆFATIO ET INTRODUCTIO

Ad subsequentia Sæcula Ordinis Seraphici.

Religio Seraphica primis temporibus, imò etiam in ipsa Regula, & prima ejusdem Declaratione Gregorii IX. Pontificis, Seraphico Patri Francisco coævi, vocabatur *Ordo Fratrum Minoram* absque alio addito *Regularis vel Strictioris Observantie*, vel *Capucinorum*, aut *Conventualium*, prout amplius patebit ex dicendis per decursum, atque apud Gubernatis Tom. II. lib. 6. cap. 16. & lib. 9. c. 1. nec non in *Antiquioritate Franciscana Fortunati Sospitelli* fusissimè videri poterit. Hic celeberrimus, & per omnes quatuor mundi partes diffusus Ordo, inspirante DEO, per Seraphicum Patrem Franciscum ab Assisio, suò modò jam fuit anno 1208. teste præclaro Chronologo Dominico Gubernatis Tom. I. lib. 1. cap. 8. inchoatus. Exemplò sancti Patriarchæ Pauperum, quidam vanitatum mundi contemporæ attracti sese ejusdem directioni ex integro submiserunt, quorum numerus illicò an. 1209. conformiter Magistro suo Christo Domino ad duodenarium excreverat. Cum his igitur, plenus fiduciâ in DEI adjutorium, profectus est Romam S. Franciscus, atq; ibidem, vel eodem anno 1209. (uti vult cum aliis *Breviarium Romano-Franciscanum* in Rubricis præviis 16. Aprilis ante Officium S. Raphaëlis Archangeli) vel subsquenti, id est, anno 1210. (uti def. Waddingus Tom. I. Annalium fol. 61. & Gubernatis loco superius citato) ab Innocentio III. Summo Pontifice per vivæ vocis orationem,

P R A E F A T I O.

culum, Apostolicam obtinuit sui Ordinis & Regulæ approbationem, cuius confirmationem in scriptis per propriam Bullam ab Honorio III. anno 1223. impetravit. Ex quo rectè deducitur, ab Origine Ordinis usque ad annum 1731. quò extractus iste conficitur, numerari 520. & aliquot annos, consequenter quinque sæcula completa, & sextum inchoatum, juxta quorum pariter seriem proceditur in isto compendio, succinctè quædam notabilia, quæ quolibet sæculô contigerunt, enarrando. Et quidem usque ad annum 1517. quo totus Ordo Fratrum Minorum mansit adhuc sub uno Generali, fiet sermo indistinctè; post Bullas *Unionis* verò & *Concordia*, quibus à reliquo corpore RR. PP. Conventuales separabantur, & unà cum Sigillo Ordinis Generali Observantium titulus *Generalis totius Ordinis* tribuebatur, potissimum refletetur ad Regularē & Strictiorem Observantiam, præfato Ministro Generali subjectam, relinquendo aliis SS. Familiis tam ejusdem, quam aliarum SS. Religionum, ea conscribenda, quæ à suis utilia & gloria gesta fuerunt, simùlque expressè & specialissimè protestando, quod, quæcunque de nostrorum Operationibus adducentur, absque omni æmulatione & præjudicio aliorum, tam incliti & laudabilissimi Cleri Sæcularis, quam Regularis, dicta habeantur.

Cùm paucorum istorum foliorum, per modum Manualis ad Lectoris commodum synopticè propositorum unicus sit finis, Religiosis nostris juvenibus, ac aliis, quibus integros lustrare Tomos non vacat, in compendio fundatam, & securam Seraphicæ Religionis notitiam instillare, & erroribus occurtere, qui passim in variis scriptis vel ex defectu plenæ informationis hinc inde inveniuntur, vel gratis, ac sine solidō fundamento, à quibusdam æmulis sparguntur.

Authores, ex quibus præsens Compendium desumitur, præter *Bullarium Romanum*, aliasque Bullas & Brevia Pontificia, sunt gravissimi, nimirūm *Waddingus*; & Supplementum *Antonii Molissani*; *Michaël Angelus à Neupoli*; ejusque continuator *Julius à Venetiis*; *Petrus Merchant. Belga de 12. Fundamentis &c.* & præprimis *Orbis Seraphicus Dominici à Gubernatis*.

Ordo in hoc compendio, quoad singula sæcula observandus, talis est, quod in quolibet æqualiter quinque ponantur Quæsita.

P R A E F A T I O.

Primum indicabit summos Pontifices, eorumque favores Seraphicæ Religioni collatos.

Secundum proponet Generales illō sēculō viventes, & eorum affecta laudabilia succinctè.

Tertium patefaciet Capitula Generalia ejusdem sēculi.

Quartum indagabit, an & quomodo Seraphica Religio illō sēculō S. Regulam literaliter & absque dispensatione observaverit.

Quintum demum monstrabit quādam Memorabilia, quæ pro Ecclesia DEI illō sēculō præstitit Seraphica Religio.

Memoratum compendium subsequetur pro majori memoriae facilitate, & legentium cōmoditate *Tabula Chronologica Universalis*, complectens succinctissimè dicta procedentia.

Ceteroquin, quemadmodum omnia tam in hoc compendio, quam in apposita Tabula inserta SS. Matris Ecclesiæ censuræ cum omni submissione subjecta habeantur, sic etiam, quidquid de Sanctis vel Beatis hinc inde insertum reperitur, non aliter nisi juxta sensum & Decreta SS. D. N. Urbani VIII. præsertim de an. 1625. & 1634. dictum, ac intelligendum intenditur.



SÆCU-



SÆCULUM I. ORDINIS SERAPHICI *ab anno post Christum natum MCC. usque ad annum MCCC.*

QUÆRITUR I.



Uinam summi Pontifices à primâ approbatione Regulæ, id est ab anno 1209. seu 1210. usque ad finem ejusdem sœculi rexerint Ecclesiam, & quas Gratias Seraphicæ Religioni contulerint? Respondeo sequentes in Bullario Romano inveniri Pontifices.

1. Erat *Innocentius III.* Italus, Comes Signiæ, alias Cardinalis Lotharius dictus, antea Canonicus Regularis Lateranensis, qui duplice vitione cœlesti motus, & simul supplicatione duorum Eminentissimum Cardinalium *Ioannis Columna de S. Paulo*, Episcopi Sabinensis, & *Hugolini* perswasus, Regulam Fratrū Ordinis Minorū Pontificum primus, juxta dicta in Præfatione, vivæ vocis oraculo approbavit, & S. Franciscum, usque ad sacrum Diaconatū Ordinem à se promotum, primum Generalem Ordinis hujus instituit, solenni ipsius, ac Sociorum suorum Professione recepta. *Gubernatis Tom. I. lib. I. cap. 8.* Item hanc ipsam approbationem anno 1215. in Concilio Lateranensi bis mille ducentorum, & duodecim Patrum ex omni Orbe Christiano collectorum denuo reperivit, præcipiendo, ut Regula ipsa coram sacro Confessu publicè legeretur. Rexit Ecclesiam usque ad annum - - - - 1216.

II. *Honorius III.* Romanus, antea Cardinalis Centius de Sabello, qui Regulam Fratrum Minorum à Seraphico Patre in majus compendium, seu in duodecim capita, dictante Christo, contractam, anno 1223. de novo, & quidem in scriptis per expressam aliquam Bullam in ipso Bullario Romano Tom. I. *Constit.* 5. dicti Pontificis adductam, ratificavit in ea ipsa parte Palatii Lateranensis, in qua hodie est Pœnitentiaria pro nostris Patribus strictioris Observantiae. Rexit Ecclesiam usque ad annum

1227.

III. *Gregorius IX.* Italus, Comes Signiæ, Benedictinus Camaldulensis, antea ut Cardinalis, & Ordinis nostri Protector, Hugolinus datus. Hic verè Amantissimus nostræ Religionis Pater, cui Seraphicus Franciscus dignitatem istam supremam Spiritu propheticō præfixerat, omnium primus ad tollendos aliquorum scrupulos quandam declaracionem super Regulam fecit, quæ per extensum reperitur apud *Gubernatis* Tom. I. lib. 4. fol. 560. Seraphicum Patrem Sanctorum Catalogo adscripsit per Bullam Tom. I. *Bullarii Romani Constit.* 2. & per aliam Ordine 12. veritatem sacrorum Stigmatum approbat. *Antonium de Padua*, & *Elisabetham Hungariæ Reginam* tertii ordinis Sancti Francisci solenniter canonizavit, præter alia, quasi innumera Beneficia Ordini collata, apud nostros Cronologos passim reperienda. Rexit Ecclesiam usque ad annum

1241.

IV. *Cælestinus IV.* Ordinis Cisterciensis, Mediolanensis, prius Gaufridus Castillioneus vocatus, qui teste *Bolland.* in *Act. SS.* Tom. 5. Maij. fol. 37^o. in Cathedra Petri sedit dies 17. juxta *Bullarium Romanum* verò dies omnino tantum duodecim. Exinde sedes vacavit uno annō, & oīto mensibūs. Hinc de hoc nihil notabile occurrit.

V. *Innocentius IV.* Benedictinus, Januensis, antea Sinibaldus Flicus, qui Fratres Minores per constitutionem *Qua tunc* constituit Inquisitores contra hæreticam pravitatem, & primus omnium ob accrescentem Fratrum multitudinem, & extensionem, *Syndicos Apostolicos* in nostra Religione per Breve reperiendum apud *Gubernatis* Tom. I. lib. 3. cap. 34. fol. 509. instituit, ut nomine Sedis Apostolicæ oblata, ac donata Fratribus reciperent, & possiderent, quæ cura aliás in primis initiis Ordinis ipsimet Sedi Apostolicæ, ac Protectori Ordinis incumbebat. Patiter *C. S. A.* Apostolicos denominavit juxta Breve Apostolicum apud

Guber-

Gubernatis loc. cit. fol. 523. adstrictos, ut Fratres Minores contra gravamina, à potentibus fors inferentia, defendant. Similiter edidit aliquam Declarationem super Regulam apud Gubernatis Tom. I. lib. 4. cap. 3. fol. 563. inveniendam; quæ quidem Expositio, et si nullatenus fuerit dispensativa contra aliquod Regulæ Preceptum: quia tamen ex magno erga Fratres amoris affectu in partem mitiorem inclinare videbatur, non nihil extendendo potestatem Syndicorum in recipiendo, & ampliando aliqualiter (saltem vi verborum) Fratribus licentiam in recurrendo ad eosdem Syndicos, idcirco statim ab obitu hujus Clementissimi Patris per zelosos, ac rigidioris disciplinae Fratres primùm in Metensi, postea in Narbonensi Capitulo Generali fuit iterum sublata, ne forsitan Laxiores eadem declaratione abuterentur; strenue ad hoc cooperante Divo Bonaventura.

Erat iste Pontifex eximus zelator pro litterali Observantia sacrae Regulæ Fratrum Minorum; indeque *Crescentium* Generalem, nimis conniventem, ab Officio depositus. Præterea per Constitutionem in *Bullario Romano dicti Pontificis 7am* benignissimè annuit an. 1250. ut possimus liberè Divina peragere, ac Fratres nostros mortuos sepelire in *Conventuum nostrorum Ecclesiis*, quas *Conventuales* ibidem vocavit, ad distinctionem *Oratoriorum in Eremitoriis nostris erectorum*, nullatenus verò in sensu illo, quô defacto ipsis Personis, in quibusdam Regulæ Preceptis dispensatis, nomen *Conventualis* attribuitur, uti recte observat *Gubernatis Tom. II. fol. 488.* atque id ipsum ex contextu facile eruitur, estque benè notandum, ne quis cum Laertio Cherubino in Summario decipiatur. Porro Innocentius IV. rexit Ecclesiam usque ad annum

1254.

VI. Alexander IV. Italus, Comes Signiæ, antea Cardinalis Raynaldus dictus, ac Ordinis Protector, qui etiam tamquam Pontifex noluit hoc Officium Protectoratus dimittere, aut aliam substituere. Principaliter cultum S. P. Francisci, ac sacrorum Stigmatum propagare studuit: *B. Claram*, uti & *Rosam Viterbiensem* Tertiariam, Catalogo Sanctorum adscripsit: Capitulo Generali, in quo Divus Bonaventura elegebatur, præsidere dignatus fuit, cuius, protunc Ministri Generalis, zelum in corrigendis multorum laxorum Fratrum excessibus summpoperè commendavit, ejusque authoritatem ad hunc finem gravissimo Diplo-

mate apud Gubernatis Tom. I. lib. 3. fol. 126- stabilivit , & demum pro defendendo , & ampliando Triplici Ordine S. Francisci ad mortem usq; indefessè laboravit. Rexit Ecclesiam usq; ad annum - - 1261.

VII. Urbanus IV. Gallus, antea Jacobus Pantaleon. Hic Pontifex S. Bonaventuram, pro tunc Ordinis Generalem, anno 1264. per speciale Diploma, videndum apud Gubernatis Tom. II. lib. XI. cap. VII. fol. 659. cominovit , ut Seraphicus Ordo Clarissas (quarum curam, ac gubernium Capitulum, generale Pisis celebratum, dimittere voluit) adhuc regendas in se assumpserit. Ad hæc Regulam Clarissarum à Seraphico Patre factam , per Constitut. VII. dicti Pontificis in Tomo I. Bullarii Romani in hoc mitigavit, ut possint , si velint , Bona immobilia , ac stabiles redditus recipere &c. Unde eo privilegiò utentes vocantur *Urbanista*, seu de secunda Regula S. Clarae. Rexit Ecclesiam usq; ad annum - 1264.

VIII. Clemens IV. Gallus, antea Guido Grossus, pietate & doctrina insignis, ac specialis fautor Minorum , præsertim singularis amator Divi Bonaventuræ pro tunc Ministri Generalis , quem etiam per Diploma anno 1265. videndum apud Gubernatis Tom. I. lib. III. fol. 128. denominavit Archi-Episcopum Eboracensem ; declinante tamen humiliter, & absque dubio ex Divino instinctu, dignitatem istam Divò Bonaventurâ.

Sunt nonnulli , qui cum Laërtio Cherubino celebri Juris Consulto Romano in Summario addunt , altementionatum Pontificem Clemensem IV. Apostolicis Literis-Obtentu Divini Numinis, datis 2. Idus Februarii anno Pontificatus primò concessisse FF. Minoribus, & Prædicatoribus, ut in Bonis , ac hæreditatibus Parentum , ac si essent in sæculo , possent ab intestato succedere. Ast fundamentaliter hosce Assertores refutat Gubernatis Tom. 2. lib. 9. cap. 2. n. 9. fol. 491. ostendens, has literas suis se pro Solis RR. PP. Dominicanis, non autem pro FF. Minoribus expeditas. Prout idem apud Ambrosium Posini in sua Expositione folio 25. Author literarum, contra Adiaforum Filalete scriptarum, ostendit, exhibendo totam Bullam in copiâ authenticâ ex secreto Archivio Vaticano 3. Julii anno 1727. extractâ. Nec constat ex ullo authenticâ Testimonia , neque est vero simile , quod tale Privilegium à Religione eo tempore , quo præerat Generalis S. Bonaventura , maximus zelator Pauperitatis , & Pontifici acceptissimus , fuisset acceptatum. Cæterum dictus Ponti-

Pontifex rexit Ecclesiam usque ad annum

1268.

IX. *Gregorius X.* Italus, antea Thaobaldus Vice-Comes, specialiter ex consilio, & persuasione *Divi Bonaventurae*, qui tunc aquid Cætum Purpuratorum in summa habebatur æstimatione, per viam Compromissi in sex Cardinales facti, absens electus, postquam integrò fermè Triennio Cardinals quoad denominationem Subjecti convenire non potuerunt. Altefatus Pontifex post modum *Divum Bonaventuram Generalem* creavit Cardinalem, & reluctantem etiam obedientiæ præcepto ad recipiendam hanc amplissimam Ecclesiæ dignitatem adegit, ejusque operâ, uti, & aliorum Doctorum, Fratrum Minorum præcipue, usus fuit in Concilio Lugdunensi cum ingenti fructu, & commodo totius Ecclesiæ. Videatur *Gubernatis Tom. I. lib. 3. cap. 9. §. 8.n. 19. ac seqq. fol. 132.* Destinavit pariter Nuntios Apostolicos ad Imperatorem Orientalem Fratres Minores, uti videri potest in *Bullario Romano Tom. I. post Constitut. 2. dicti Pontificis.* Rexit Ecclesiam usque ad annum

1276.

X. *Joannes XXI.* aliis XX. Lusitanus, antea Petrus Juliani. Hunc Pontificem equidem duo, vel tres alii præcesserunt, nimirum Innocentius V. Hadrianus V. & Vice-Dominus de Vice-Dominis, quorum tamen primus sedet præcisè menses quinque, & dies duos: alter verò mensem unum, & dies septem, & Tertius (juxta *Wad. Tom. 2. fol. 378. n. 13. & Bolland. Tom. 5. Maij. fol. 58**. sive in vitâ, sive paulò ante mortem Franciscanus factus) uno solùm die post electionem vixit; unde quia intra hoc brevissimum temporis spatium nil notabile agere potuerunt, prætermituntur. Et licet pariter Joannes XXI. ne quidem integrum annum in Pontificatu adimpleverit, maximè tamen Terræ sanctæ necessitatibus sublevandis prospexit, ac nostrum Ministrum Generalem, *Hieronymum ab Aculo*, cum Magistro Generali Dominicanorum tamquam Angelos Pacis destinavit, pro avertendo inter Hispaniæ, ac Galliæ Reges imminentissimo bello, sed morte præventus reliquit hoc negotium suo Successori. Rexit Ecclesiam usque ad annum

1277.

XI. *Nicolaus III.* Romanus, antea *Joannes Ursinus*, cui adhuc puer Seraphicus Pater noster Franciscus Protectoratum in Dignitate Cardinalitia, & Pontificatum auguratus fuerat. Hic Pontifex jam ut Protector Ordinis singularem amorem, & æstimationem ostendit erga Seraphicam Religionem, uti non solùm gratiæ abundantier collataz, verùm etiam

amorosæ litteræ, ad Generale Capitulum datæ, videndæ apud Gubernatōis Tom. I. lib. 3. fol. 350. clarissimè probant. Factus Papa, cùm loco sui Cardinalem Matthæum Nepotem Ordinis Protectorem creare vellet, annulum suum digito extrahens, ac Illius digito inserens præ teneritudo affectu erga Ordinem Seraphicum in lachrymas solutus, teste Wadingo ad annum Christi 1229. in hæc verba prorupit: *Damus tibi omnium, quæ habemus, potissimum, tradimus cordis nostræ delicias, pupillam oculorum nostrorum, scilicet Ordinem Fratrum Minorum; ubi simul alteratum Cardinalem in futuro Protectoratus officio instruens subjunxit: Tua Gubernatione Ordo non indiget: quia tot Sapientibus, & Prudentibus Personis abundat, quod ad se gubernandum bene sufficiat sibi Ipsi: Correctioni quoque non opportet te insistere; quia inter Fratres sunt taliter Praelatura inter se dispositæ, quod in hac parte non videatur posse esse defectus.* Unum autem est, in quo Patrocinio tuo indigent: sunt enim imbecilles, & pauperes, & multos habent, qui eos indebitè iniquitant, quibus per se repugnare non possunt, & ideo indigent Brachiò, & fortitudine Protectoris. *Hoc est potissimum, in quo ipsis tua cura debet assistere.* Ita verissimus Religionis nostræ Pàrens Nicolaus III. qui pariter singularissimè zelavit exactam in toto Ordine Seraphico absque ulla Pontificia dispensatione sacræ Regulæ Observantiam, & hinc famosissimam illam Declarationem: *Exiit qui seminat: an. 1280. edidit ad omnimodum litteræ rigorem, & ad mentem Seraphici Patris. Damus prologum Declarationis. Exiit, qui seminat seminare semen suum, de sinu Patris in mundum usque scilicet humanitatis induitus DEI Filius JESUS Christus, Verbum Evangelicum saturus in singulos probos, & reprobos, insipientes, & ignaros, studiosos, & desides, & juxta Prophetam colonus futurus in terra, semen suum, doctrinam videlicet Evangelicam, sine delectu dispersit in omnes, qui omnia traxerunt ad se, omnes salvare venerat: qui tandem se ipsum DEO Patri pro salute omnium in redemptionis humanae pretium immolavit. Licet autem hoc semen in singulos communicativa DEI charitate dispersum, aliud occiderit secundus viam super corda scilicet Demonum suggestionibus praevia: aliud supra petram, corda scilicet nullo fidei vomere penetrata: aliud inter spinas, corda scilicet hominum divitiarum sollicitudinibus lacerata: & ideo, unum pravis affectibus conculcatum; aliud aridum, quia grata carebat humore; reliquum verò legitur inordinatis sollicitudinibus suffocatum;*

focatum; aliud tamen mite cor, & docile, terra bona suscepit.

Hac est Minorum Fratrum *mitis*, & docilis in paupertate, ac humilitate per alnum Christi Confessorem Franciscum radicata Religio: quæ ex illo vero semine germinans, germen illud sparsit per Regulam in Filios, quos sibi, & DEO per suum ministerium in observatione Evangelii generat. Ipsi sunt Filii, qui docente Iacobo, Verbum eternum DEI Filium, insitum humana natura in horto Virginalis uteri, potens salvare animas, in mansuetudine suscepserunt. Hi sunt illius Sanctæ Regule Professores, quæ Evangelico fundatur eloquio, vita Christi roboratur exemplò, fundatorum militantis Ecclesie, Apostolorum ejus sermonibus, atque firmatur. Hac est apud DEUM & Patrem munda, & immaculata Religio, quæ descendens a Patre Luminum, per ejus Filium exemplariter, & verbaliter Apostolis tradita, & deinde per Spiritum Sanctum B. Francisco, & eum sequentibus inspirata, totius in se quasi continet testimonium Trinitatis. &c. In quem finem antecedenter cum Sociis nostri Seraphici Patris, quibus ejus vita, & conversatio nota erat, super ipsa Regula, & sancta ipsius B. P. Francisci intentione frequenti collatione tractando, Sorianum ex hoc motivo se contulit, ubi ferme integros duos menses in componenda hac Expositione insumpsit. adhibitis consiliariis duobus Cardinalibus Hieronymo Pranestino, & Benivenga Allianensi Episcopis, ex Ordine Minorum ad hanc Cardinalitiam dignitatem assumptis, assistentibus etiam cum Ministro Generali non paucis zelosis Fratribus, & aliis doctissimis viris, nimis Petro Peregrosso S. R. E. Vice-Cancellario, Comite Clusiano de Casale facri Palatii Auditore (qui ambo postmodum ad Cardinalatum ascenderunt) Angelo celebri Curiæ Advocato, & Benedicto Cajetano Pronotario. dein Cardinale. demum Pontifice sub titulo Bonifacii octavi. Rexit Nicolaus Ecclesiastus usque ad annum 1280.

XII. *Martinus IV. Gallus*, antea Cardinalis Simon de Briæ appellatus, qui tamen potius deberet dici *Martinus secundus*: duo enim intermedii non *Martini*, sed *Marini* nomen habuerunt. Zelavit hic Pontifex summoperè, ut Seraphici Ordinis pura Observantia in suo vi-
gore servaretur, prout ipsem attestatur in sua Bulla: *Exultantes in Do-
mino apud Gubernatis Tom. I. lib. 4. fol. 566.* ubi pariter personas à Fra-
tribus nominatas constituit tamquam Syndicos Apostolicos, qui nomi-
ne Ec-

ne Ecclesiæ res mobiles, & immobiles, vel earum rerum pretium, ac E-
leemosynas Fratribus in Testamento relictas recipient, vel etiam si hæ
ab aliis detinerentur &c. juridicè nomine Ecclesiæ exigant &c. & in Fra-
trum utilitates (prout eis licet ex Regula, vel Declaratione Regulæ) con-
vertant &c. *Benveautum*, Episcopum Auximensem Franciscanum, Ca-
talogo Sanctorum adscripsit. Moritur Perusii lentâ febri vexatus, Habitu
Religionis Seraphicæ ante obitum suum postulato, in quo sepeliri vo-
luit, mandans corpus suum transferri ad Ecclesiam S. Francisci Assisi.
Rexit Ecclesiam usque ad annum

1285.

XIII. *Honorius IV. Romanus*, alias Jacobus de Sabello. Pontifex
iste præter plures Ordini nostro favorabiles litteras instituit (teste *Antonio Mellisano in Supplemento Annalium Ordinis ad annum Christi 1285.*) Mare
magnum, seu Bullam auream: *Virtute conficuos &c. 12. Kalendas De- cemb. anno Pontificatus primi: quæ, ed quod substantialiter contineatur*
in Mari magno Sixti IV. ad illud dimissa est. Mortui Corpus ad Basili-
cam *Ara Cœli* Fratrum Minorum in sepulchrum Gentilitium translatum
fuit. Rexit usque ad annum

1287.

XIV. *Nicolaus IV. Italus*, antea Hieronymus Aesculanus ex Ordine
Minorum, unanimiter electus, bis huic Pontificiæ dignitati renuntians
cum lacrymis, & tertio ab omnibus Cardinalibus compulsus. Fuerat
antecedenter Generalis Totius Ordinis Minorum. Pontifex iste, verus
Minorum Pater, specialiter approbavit anno 1289. Regulam tertii Or-
dinis pro Sæcularibus per Bullam: *Supra montem &c. Tom. I. Bullarii Ro- mani.* Similiter, & adhuc efficacius per aliam Bullam *Unigenitus DEI Filius* die 8. Augusti anno 1290, in qua etiam præcepit, ut Visitatores,
& Superiores habeant ex Ordine Minorum. Item coram se voluit cele-
brari in Urbe Reatina Capitulum Generale, cui etiam præsedidit unà cum
duobus Cardinalibus ex Seraphico Ordine assumptis, nimisum *Bentiven- ga*, & *Aqua Spartano*: præsentibus pariter in dicto Capitulo *Carolo II.*
& *Maria* utriusque Siciliæ Regibus in eadem civitate eodem tempore
à Summo Pontifice pro majori solemnitate coronatis. Rexit Ecclesiam
usque ad annum

1292.

XV. *S. Cœlestinus V*, antea Petrus de Murrone, seu Morone ex Ere-
mo mirabiliter assumptus, dum Patres Purpurati longo tempore inter se
convenire non poterant; ubi tamen amore solitudinis, cui à pueri af-
ficeve-

s'everat, brevi iterum sese sponte Pontificatu abdicavit. Sub hoc Pontifice aliquot Fratres Minores, quibus arctioris vita, & strictissimæ Observantiae rigor, forte suo modo indiscretus, nimium cordi erat, acquisierunt favorablem pro sua Congregatione Bullam, & captata occasione ex Pontificis pietate, ac propensione erga Eremicos, obtinuerunt, ut imposterum etsi Regulam Seraphicam rigorosissimè observarent, non *Fratres Minores*, sed *pauperes Eremitæ Domini Cœlestini* nuncuparentur. Hæc tamen Congregatio, de qua *Gubernatis Tom. I. lib. 5. cap. 5. fol. 602.* brevi post mortem Cœlestini iterum extincta, & Bulla Cœlestina à Successoribus Pontificibns cassata fuit. Rexit Ecclesiam usq; ad an. - 1294.

XVI. *Bonifacius VIII. Italus*, antea *Benedictus Cajetanus dictus*, Jurista doctissimus, qui Compositioni famosissimæ declarationis Nicolai III. *Exitit, qui seminat*: interfuit, coadiuvit efficacissimè, eamque pro majori Religionis Seraphicæ splendore Corpori Juris, nimirum sexto Decretalium *Tit. de Verb. Signif.* inseruit: Capitulo Generali personaliter praesedit: Pluribus ex nostro Seraph. Ordine Pileum Cardinalitium imposuit; nimirum *Jacobo Tomasio Cajetano*: *B. Andreæ de Comitibus Signia*, seu *de Contidicto* (qui tamen nullatenus induci potuit ad acceptandam hanc dignitatem) *Gentili de Monte Florum*, *Reginaldo de Umbria*, *Ioanni Minio de Muro*, nec non *Leonardo Parrasso*, de quo quidem ultimo dubitat *Wad. Tom. 3. fol. 7. n. 5.* affirmat tamen *Petrus Antonius à Venetiis Tom. I. fol. 394.* *Ludovicum IX. Galliarum Regem*, tertii Ordinis S. Francisci solenniter canonizavit, & Ordinis Privilegia solennissimè confirmavit per Bullam, legendam apud *Gubernatis Tom. I. lib. 4. fol. 567.* Ob innumeros salutis fructus (sunt formalia verba Bullæ) qui noscuntur ex Ordine animabus fidelium provenire. Rexit Ecclesiam usq; ad an. 1303.

QUÆRITUR II.

*Quinam Generales fuerint in primo Sæculo
Ordinis, id est, usque ad annum 1300. Respond. sequentes.*

I. **S**eraphicus Pater noster *Franciscus*, Assisas, qui et si tempore sui Gubernii habuerit duos sub se Vicarios Generales, ipsum tamen

Generalatum ex Jussu Summorum Pontificum usque ad finem vitæ retinere debuit, id est usque ad annum 1226.

II. *Elias de Cortono*, Vir insignis quidem doctrinæ, sacræ Regulæ tamen prævaricator: cui S. Antonius in faciem restitit; hinc à Gregorio IX. tunc in Capitulo Generali præsidente, depositus fuit. Rexit Ordinem usque ad annum 1230.

III. *B. Joannes Parens*, Florentinus, zelator Regulæ Seraphicæ, qui pro majori dubitantium quiete primam Regulæ declarationem obtinuit à Gregorio IX. Summo Pontifice. Rexit Ordinem usq; ad an. 1236.

IV. Non diu pòst *Elias*, tumultuarie à suis Fautoribus proclamatus, & à Gregorio IX. per dictos fautores decepto, rursus approbatus est. Huic, suas laxitates repetenti, se B. Cæsarius de Spira Germanus, vir integerrimus, doctus, Evangelicæ pauperratis, & Observantiae Regularis intrepidus defensor, eum suis energice opposuit, proinde quæ Elias à Summo Pontifice, Capitulo Generali iterum præsidente, secundâ vice exauktoratus fuit. Rexit Ordinem usque ad annum 1239.

V. *B. Albertus Pisanus Herruscus*, à virtute & sanctitate præclarus: tertio ab Electione mense non sine ingenti Summi Pontificis dolore mortuus.

VI. *B. Haymo Anglus*, vir eximia Prudentiæ, zeli, ac meriti non solum respiciendo Ordinem, verùm etiam totam Ecclesiam, & ideò à Gregorio IX. Electioni tertio jam præsidente, mira cordis exultatione confirmatus, qui singulas sermè Provincias pedestri itinere visitavit: ejusdem Pontificis jussu fecit correctiones; & Rubricas in Officio Romano, Missalibus, & Ritibus Ecclesiasticis, à Nicolao III. approbatas, & in tota Ecclesia receptas. *Wad. T. 1. f. 630. n. 2. Marchant. part. 2. fol. 136.*
156. 157. Rexit Ordinem usque ad annum 1244.

VII. *Crescentius Picenus*, seu *Æsinus*, qui plurimis annis in seculo Juris Utriusque, & Medicinæ peritiam Professus, declinante jam ætate Religionem intravit. Erat literis, & canitie Venerabilis; favebat tamen, vel verius, connivebat nimiùm Eliæ Sectatoribus, forsan ad conservandam inter Fratres concordiam. Exinde apud Summum Pontificem Innocentium IV. à septuaginta Patribus, & ultra delatus, ac loco ejusdem aliis à Capitulo Generali substitutus fuit, ut Ordo semper in viridi permaneret Observantia. Rexit Ordinem usque ad annum 1247.

VIII. *Beatus Joannes Picus à Parma*, seu Parmensis, Vir de illustri Prospria, disciplinæ regulâris ardentissimus propugnator, nec non in Theologica Facultate inter paucos conspicuus, coram Summo Pontifice Innocentio IV. electus, tantâ universæ Religionis exultatione, ut B. Patris Francisci Spiritum revixisse omnes proclamarent. Nec tamen defuerunt persecutiones apud *Gubernatis Tom. I. lib. 3. fol. 120.* inveniendæ. Viribus fractus tandem resignavit suum officium contrariantibus licet zelosis. Post mortem miraculis claruit, ejusq; corpus in hæc tempora Camerini integrum ostenditur. Rexit Ordinem Seraphicum usq; ad an. 1256.

IX. *Sanctus Bonaventura Fidanza à Balneo Regio*, Herruscus, Ecclesæ Doctor, & Cardinalis, hoc nomine ex propheticô Sancti Patris Francisci Spiritu, jam ut puer quadriennis appellatus; cui pariter sub eadem ætate meritiss., & precibûs Seraphici Patris sanitas imperata fuit, postquam Mater eundem sacro Seraphico Ordini devoverat, si ab infirmitate liberaretur. Quanta hic zelosus, & Doctor verè Seraphicus, altérq; quasi Franciscus, Ordini, & universæ Ecclesiæ præfliterit, non solum Annales nostri, verùm etiam extranei Authores passim testantur. Rexit Ordinem usque ad annum

1274.

X. *Hieroymus ab Ascule*, qui ad clavum Religionis sedens in promovenda Ordinis Sanctimonia tum immaculatae vitæ exemplô, tum diligenti visitationum sollicitudine se totum impendit, ad summa Ecclesiæ negotia componenda, & ad supremos terræ Principes pacificandos sèpè à Summis Pontificibus Legatus, demum Cardinalis, ac tandem etiam Papa electus fuit sub Nomine *Nicolai IV.* Gubernavit Ordinem usque ad annum

1279.

XI. *Bonagrátia de S. Joanne in Perseceto*, Italus Territorii Bononiensis, antea unà cum Hieronymo ab Ascule Legatus Pontificius ad partes Orientales, Vir conformiter nomini suo singulari gratiâ pollens, doctrinâ eminens, qui pro sanctitate Ordinis partim fovenda, partim restituenda plura saluberrime decrevit. Rexit Ordinem usq; ad an. 1289.

XII. *Arlottus de Prato*, Thuscus, magnus ubique Doctor, Vir pius, ac prudens, Ordinis quieti, sanctæq; Reformationi vividè incumbens: dolendum, quod præmatura mors omnem ulteriore spem præciderit. Rexit Ordinem usque ad annum

1287.

XIII. *Matthaus de Aqua Sparta*, ex Provincia Umbriæ oriundus, anteā

antea Lector sacri Palatii Apostolici, Zelator magnus puræ Observantiae, ac propugnator strenuus Declarationis in Regulam Nicolai III. creatus Cardinalis titulo S. Laurentii in Damaso, ac declaratus Protector Ordinis Servorum B. Virginis, in nostro Conventu Aracælitano sepultus. Rexit Ordinem usque ad annum

1289.

XIV. *Raymundus Gaufredi*, Gallus, in Synodo Generali Reatina coram Nicolao IV. Summo Pontifice electus, Vir Genere Nobilis, in Theologia Magister, virtutibus à pueritia excultus, Disciplinæ Reguluris, & Paupertatis Evangelicæ acerrimus defensor, atque exinde apud non paucos exosus. Obtulit huic Summus Pontifex Bonifacius VIII. sèpiùs Episcopatum Patavinum, sed cùm constantet renuisset, se tanto oneri imparem dicitans, indignanter Pontifex reposuit: *Multò magis ergo impares tanto, quo fungeris, Officio:* Sicque ipsum à Generalatu absolvit, postquam Ordinem rexit usque ad annum

1295.

XV. *Ioannes Minius de Muro* vallium ex Marchia Anconitana oriundus, ab ineunte ætate moribûs, & literaturæ excellentiâ conspicuus, ac sacri Apostolici Palatii Lector. Erat promovendæ Ordinis strictæ Observantiae, ac extirpandis aliquorum abusibus totus intentus, quantum per graviora Ecclesiæ negotia, ad quæ à Summis Pontificibus applicabatur, licuerat. Ob sua præclarissima in Ecclesiam merita creatus est à Bonifacio VIII. Cardinalis, Episcopus Portuensis, & Ordinis Protector. Anno 1296. adhuc in Generalatu existens, *S. Ludovicum*, postea Episcopum Tolosanum, in S. Ordinem suscepit, Gubernavit Religionem usque ad annum

1304.

Q U Æ R I T U R III.

Quænam Generalia Capitula fuerint celebrata primô Sæculo Ordinis?

A Nte Respcionem pro hoc, & subsequentibus duobus sæculis duo prænotanda veniunt. 1mò. Quòd primis temporibûs, et si duratio Generalis fuerit circiter usque ad Leonem X. quoad tempus in definita: nihilominus ipsa Generalia Capitula juxta litteram sacræ Regulæ

cap. VIII.

cap. VIII. singulis trienniis fuerint celebrata, nisi (prout ipsamet Regula loc. cit. addit) Ordinatio Superiorum ex gravi causa brevius, vel longius temporis spatium requisiuerit, aut intra illud triennium Minister Generalis mortuus, vel exauctioratus, vel ad altiorem dignitatem à Summo Pontifice promotus fuerit. 2dò. Notandum, quòd *Michaël Angelus* in sua Chronologia Historico Legali, & Continuator ejusdem *Julius à Venetiis* non convenienter in numero Capitulorum Generalium cum *Dominico Gubernatis* Tom. III. & IV. qui ultimus longè plura enumerat, quām duo p̄cedentes Chronologi. Sic *Michaël Angelus* à Neapoli ab anno 1256. usque ad annum 1274. tantummodò duo ponit Capitula Generalia; econtra *Gubernatis* plura intermedia. Scio quidem, quòd respondeat *Julius à Venetiis*, fuisse potiùs intermedios congressus pro aliquo negotio tractando, quām vera Capitula; sed mihi cum *Gubernatis* potiùs dicenda videntur Generalia Capitula, ea ex ratione: quia temporibus antiquis juxta *caput VIII.* Regulæ celebrabantur Generalia Capitula singulis Trienniis, quamvis circa electionem Generalis tempus fuerat illimitatum: Cur ergo illi congressus e. g. anno 1263. 1266. & anno 1269. &c. non vocentur Capitula Generalia? Unde sequendo Patrem *Dominicum Gubernatis* respondeo, sequentia in primo Sæculo fuisse Capitula Generalia:

I.	Affissi in Umbria existente Generali Sancto Francisco, anno	1216.
II.	Affissi sub eodem Generali, anno	1219.
III.	Affissi sub dicto Generali, anno	1220.
IV.	Denuò Affissi Generali eodem, anno	1221.
V.	Iterùm Affissi Generali Sancto Francisco, anno	1223.
VI.	Romæ post mortem Seraphici Patris, Præsidente ipsomet Summo Pentifice Gregorio IX. Electo Ministro Generali Elia anno	1227.
VII.	Denuò Romæ, electo Ministro Generali Joanne Parente, ac rursus præsidente Papa Gregorio IX. anno	1230.
VIII.	Sorae in Hispania sub Joanne Parente adhuc Generali anno	1233.
IX.	Affissi, reelecto in Generalem Elia, anno	1236.
X. & XI.	Romæ, ubi neo-electo Generali B. Alberto de Pisis vix per tres menses durante, undecimò Capitulò Generali in Successorem subrogatus fuit B. Haymo Anglus, præsidente utrobique ob incomparabilem	

- bilem amoris excessum Gregorio IX. Summo Pontifice anno 1239.
- XII. Bononiæ in Italia, sub B. Haymo ne Anglo, in quo famosa illa quatuor Magistrorum Expositio in Regulam à Capitulo fuit approbata anno 1242.
- XIII. Genuæ in Italia præsidente Summo Pontifice Innocentio IV. & electo, post mortem Haymonis, Generali Crescentio Æsino. His in Comitiis initium datum est Chronicæ trium Sociorum : item Legendæ antiquæ, quæ Opera vitam Seraphici Patris continent anno 1244.
- XIV. Avinione in Gallia, præsidente iterum Innocentio Papa IV. electo Generali Beato Joanne de Parma anno 1247.
- XV. Metis in Lotharingia, præsidente adhuc Generali B. Joanne de Parma, destinatò tamen simul Legato Apostolico in Græciam pro unione Græcorum cum Romana Ecclesia anno 1249.
- XVI. Romæ, præsidente Summo Pontifice Alexandrio IV. & in Generalem electo S. Bonaventura etiam absente anno 1256.
- XVII. Narbonæ in Gallia, subsistente eodem Generali Divo Bonaventura; in quo Capitulo, juxta Gubernatis, introducta est Uniformitas Habitūs, & Capucii, cùm antea vestitus Fratrum esset diversimodus anno 1260.
- XVIII. Pisis in Italia, sub eodem Generali, anno 1263.
- XIX. Luteriæ Parisiorum, continuante Generalatum D. Bonaventura anno 1266.
- XX. Assisi in Umbria, sub eodem Generali anno 1269.
- XXI. Pisis in Italia, existente adhuc Generali Divo Bonaventura anno 1272.
- XXII. Lugduni in Gallia, electo Ministro Generali Hieronymo ab Asculo, postmodùm Summo Pontifice sub nomine Nicolai IV. an. 1274.
- XXIII. Patavii in Italia, persevérante in Generalatu Hieronymo ab Asculo anno 1277.
- XXIV. Assisi in Umbria, electo Ministro Generali Bonagratia, Hieronymi ab Asculo in Apostolica Legatione ad Græcos Collega anno 1279.
- XXV. Argentinæ in Germania, permanente Generali Bonagratia anno 1282.
- XXVI.

XXVI.	Mediolani in Italia , electo in Generalem Arlotto de Prato anno	1285.
XXVII.	Montis Pessulani , electo Generali Matthæo de Aquasparta anno	1287.
XXVIII.	Reate in Italia, præsidente Summo Pontifice Nicolao IV. & in Generalem Ministrum electo Raymundo Gaufredi anno	1289.
XXIX.	Parisiis, durante Generali priori anno	1292.
XXX.	Affissi sub eodem Generali anno	1295.
XXXI.	Agnaniæ, præsidente Summo Pontifice Bonifacio VIII. & electo Generali Joanne de Muro &c. anno	1296.
XXXII.	Lugduni in Gallia , persistente Generali Joanne de Muro anno	1299.
XXXIII.	Genuæ in Italia, permanente eodem Generali an.	1302.

QUÆRITUR IV.

An primô hōc Ordinis Sæculō Fratres Minorites Regulam suam sub uno capite existentes , absque ulla dispensatione observaverint ?

Respondeo , aureō hōc sæculō *In primis* Pontifices , Ordini addictissimos , pro manutenenda Regulæ Observantia strenue laborasse . *Secundō* Generales omnes (si Eliam , & forsan Crescentium Picænum & zelosis Fratribus ad Sedem Apostolicam delatos , & à Summis Pontificibus depositos excipias) Apices Regulæ Seraphicæ zelasse , ipsosmet Sanctitate , Legationibūs Apostolicis ad Reges , & integras Nationes , singuli doctrinā , Purpurā , vel etiam Mitrà Pontificiæ Religionem fulgentiorem reddidisse , & *Tertiō* Capitula Generalia congregata neque Statuta Regulæ rigorem laxantia fecisse , nec ullam Pontificiam dispensationem periisse , vel acceptasse , sicque Corpus Religionis illibatum in S. Regulæ Observantia sub uno capite permansisse , uti totum hoc patet partim ex dictis , partim ex Gubernatis Tom. I. lib. 3. cap. 12. fol. 97. & seqq. & Tom. III. à fol. 1. usque ad fol. 19. Quamvis cæteroquin negari nequeat , in tan-

in tanto Fratrum numero etiam Laxos, præsertim in puncto Paupertatis, Eliæ Sectatores, & abusum Fautores extitisse, quos tamen Seraphica Religionis in Corpore, mediantibus Generalibus Comitiis, per Statuta Generalia, & Generales ipsimet per Circulares fervore plenas coercere satabant; prout Rectores Ordinis apud Pontificem Clementem V. anno 1311. in *Clement. Exivi. de Verb. Segn.* testabantur, ac insuper plures zelatores, uti S. Antonius, B. Cæsarius Spirensis, aliisque in faciem resistere non horabant transgressoribus. Quinimò S. Bonaventura, juxta jam dicta, ne quidem Declarationem Regulæ, ab Innocentio IV. (amantissimo Seraphicæ Religionis Patre) editam, recipere volebat, ne Fratres laxiores verborum tenore hujus Pontificis, quoad licentiam recurrendi ad Syndicos, abuterentur.

QUÆRITUR V.

Quænam Memorabilia Fratres Minores pro Ecclesia DEI fecerunt in I. sui Ordinis Sæculo?

Circa ultimum istud quæstum tam in hoc, quam subsequentibus sæculis, benè notandum venit, non quæcumque laudabilia Seraphicæ Religionis in præsenti adduci, sed tantum aliqua memorabilia, & eaduntaxat pauca; aliás Opusculi hujus compendium in magnum Tomum, contra nostrum intentum, ex crescere.

Hoc supposito respondeatur.

I. In primis Seraphicus P. Franciscus, Verbo, & Exemplo prædiens, in Europâ, nominatim in Italia, infinitum quasi Peccatorum numerum ad veram pœnitentiam reduxit, & ex hoc ipso fine tertium Ordinem de Pœnitentia erexit: non (ut quidam putant) per modum aliquius Confraternitatis, sed ut verum Ordinem, suo novitiatu, Habitu, & Professione distinctum, prout plurimis aliis prætermisssis, sola Constitutio Benedicti XIII. — Paterna Sedis — 10. Decemb. an. 1725. emanata, aperte demonstrat. Fuit equidem mentionata Bulla Paterna Se-dis per immediatum Benedicti XIII. Successorem Clementem XII. in sua Con-

sua Constitutione *Romanus Pontifex* edita tertio Calendas Aprilis anno 1732. iterum reducta ad terminos Juris Communis, Concilii Tridentini & NB. ad alias *Constitutiones Pontificias*; cùm verò hæc ipsæ alias Pontificæ *Constitutiones*, ad quas se se Clemens XII. remittit, approbaverint tanquam verum in Ecclesia *Tertium Ordinem*, consequenter est, & manebit talis, utpote sic agnitus etiam loquendo de Sæcularibus à Nicolao IV. Innocentio IV. Eugenio IV. Clemente VII. Innocentio XI. &c. &c. per Bullas plusquam triginta videndas in Bullariis *Emanuelis Rodriguez*, vel *Bordoni*, nec non in Directorio trium Ordinum, seu apud Gubernatis Tom. 2. sive etiam in libello novissimè ad hunc finem Monachii typis vulgato. Instituit hunc, per universum mundum jam dilatum *Ordinem S. P. N.* eodem anno 1221. quo à Christo Domino imperavit notissimas illas Portiunculæ Indulgentias, quibus tot centena millia animarum in toto terrarum Orbe ad deponendam Peccatorum Sarcinam trahuntur.

Nec zelns animarum Viti hujus Apostolici intra solos Europæ fines contineri potuit, quin pariter ad vastissimum pro tunc *Ægypti Regnum* se se extenderet, quorsum ipse cum *P. Illuminato* (reliquis sociis *Ptolomaïdâ* ad alias Saracenorum partes dimissis) ad potentissimum eo tempore totius Regni Soldanum profectus, veram Christi fidem, sanctumque Evangelium fervore verè Seraphico annuntiavit, atque effrum Tyranni Cor tantâ mansuetudine, ac dulcedine demulcivit, ut pro se suisque Consodalibus, liberam dederit in terris subjectis Evangelizandi licentiam, salutiferam subinde Christi Domini Crucem, saepius ab infidelibus ablatam (quam & ipse Soldanus in Jerosolymitana expugnatione suæ subjecerat potestati) gratis restituerit, triginta circiter millia Christianorum Captivorum libertati reddiderit, & demum successu temporis per duos Fratres Minores S. Baptisma receperit. *Gubernat. de Miss. ant. fol. 581. & seqq.*

II. Seraphicum Patrem in sancto animarum zelo secutus est filius, verè Seraphicus, *S. Antonius Paduanus*, primorum ex Ordine nostro Martyrum, in Odiun fidei Marochii occisorum sanguine, ad amplectendum hoc institutum inflammatus.

Quanta Ecclesiæ DEI præstiterit, quomodò in Africam pro Missionibus transfretaverit, ac iterum ex Ordinatione DEI in Italiam deportatus

tatus fuerit, qualiter anno 1231. in Italia Ezelini Tyranni furorem represserit, quot centena millia hominum in viam salutis direxerit, si libri tacerent, vel ipsa sua lingua, quingentis jam annis incorrupta peroraret. Vocabatur communiter *Malleus Hereticorum*: à Gregorio IX, autem *Arca Testamenti* pro omnium salute cælitus data.

III. Sub primis Ordinis temporibus, an. scilicet 1219. quinque Fratres Minores, *Berardus*, *Petrus*, *Accursius*, *Adjutus*, & *Otto*, ad prædicandum Christi Evangelium ab ipsomet Seraphico Patre in *Africanam* destinati, dilectissimam Christi Sponsam, Ecclesiam purpurâ proprii sanguinis condecorârunt, postmodùm à Sixto V. in Sanctorum numerum relati. Hi, ab impio Rege Marochii Miramolino in Odium fidei propria manu enecati sunt.

Sensit tamen dictus Rex unà cum toto Regno illicè grayiorem manum Domini super se, quippe dextera illa, quâ SS. Martyrum Capita concidit, cum toto latere exaruit, ac integro quinquennio, juxta numerum quinariū Sanctorum, Regnum Marochianum omnium reum sterilitate, & contagiosâ lue afflictum elanguit, usque dum ad Martyrii locum Barbari congregati humiliiter veniam precantes frugiferum imbrēm, quo arida fecundabatur tellus, impetrârunt. Quo Miraculo Rex Miramolinus commotus. Edictō publicō Christianis facultatem dedit, non tantū in loco suę Residentiæ Ecclesiam erigendi, ad Sacra ritu Catholico ibidem publicè peragenda, verū letiam proprium Episcopum assumendi ex Ordine Minorum. Prout primo hujus Ordinis sèculo apud *Gubernat. Tract. de Miss. ant.* leguntur quatuor ex Seraphicā Religione successivè, absque aliqua interruptione, ad hanc Episcopalem dignitatem promoti; *Almirum Agnellus*, primus circa an. 1227. *Lupus Dain secundus*, simûlque totius Africæ Legatus Apostolicus, *Blanus*, sive *Brancus tertius*, ac demum *Rodericus quartus*, qui unà cum pluribus indies ex Europâ, præsertim ex Ordine Prædicatorum, & Minorum in Adjutorium missis, Vineam Domini indefessè excoluerunt, Saracenos in magno numero S. Baptismatis aquâ lustrando, *Gubern. de Miss. ant. fol. 532. & seqq.*

IV. Allegatos quinque Martyres propediem, id est anno circiter 1227. ex Ordine Minorum alii septem *Daniel*, *Samuel*, *Donnus*, *Leo*, *Hugolinus*, *Nicolans*, & *Angelus*, subsecuti fuere, qui pariter suo proprio

prio Cruore Christi Sponsam Ecclesiam exornarunt, & à Leone X. Sanctorum Apotheosi donati sunt.

Hi, cum aurea illa nascentis Ordinis Seraphici tempora (uti nostrum loquitur Breviarium) promicarent, *Ceptæ*, seu *Septem*, Saracenum Urbem, ingressi Christum unicum Mundi Salvatorem, liberè prædicarunt, dicta sua, spiritu veritatis aspirante, validis rationibus constabiliens; Pro mercede omnes reportarunt Laureolam Martyrii *Septæ* (seu ut alii vocabant) *Cepta*, post carceris squalores, & varia tormentorum genera, jussu Tyranni Capite truncati.

Effusus *Septæ* Martyrum sanguis semen fuit novæ in Ecclesia DEI animalium Mæsis quoad Regnum Fezzanum, cujus Urbs ista (nunc *Centa* dicta) pro illo tempore post Fezzam, Regni Fezzani Metropolin, erat præcipua. Nam aliquot annis post mortem horum Martyrum, dum Rex Marochianus cum Rege vicino Fezzano, pro tunc à priori distinto, gravissimas inter inimicitias cruentum bellum gerebat, ac tandem lassus; ea quæ pacis sunt, optabat, tres ex Seraphico Ordine, eeu Pacis Internuncios, ad Regem Fezzanum destinavit, qui, intercessione hominum Martyrum, induratum efferati Regis animum tantum emollierunt, ut non solùm pacis fædera ipierit, verùm etiam Fratribus Minoribus Fezzæ, in Metropoli sua, habitaculum concederit, in quo Christianis, vel in durâ servitutis conditione detentis, vel ad negotia Mercaturæ applicatis, vel etiam, & quidem magno numero, Stipendiarijs, præter Sacramentorum administrationem, omnia Christianæ pietatis opera, ne à fide deficerent, exhibuerunt, nunquam non intenti, ut Saracenorum mentes lumine Veritatis Evangelicæ imbuerent.

Item Episcopi, ex Ordine Seraphico, uti Marochii, ita Fezzæ constituebantur. Quinimò sub potenti horum 7. Martyrum patrocinio tantos in his partibus Fides Catholica fecit progressus, ut circa annum 1267. *Ceptæ* proprius Episcopus, saltem titularis, denuò ex Ordine Minor. Fr. Laurentius fuerit assumptus. Ita ex variis instrumentis eruit Gubernat. de Miss. ant. lib. 3. c. 1. §. 2. fol. 546. n. 56.

V. Transeundo ab Africa in Asiam anno Christi 1246. Innocentius IV. destinavit illic Nuntium Apostolicum, cum aliis Fratribus Minoribus, Jacobum à Resario (vel ut aliis placet) à Kuffeno, ubi Armeniæ Regem, cum magno numero tum Infidelium, tum Schismatricorum, ad

veram Fidem convertit; ex quo in tantum eorundem Armeniæ Regum in Ordinem Seraph. excrevit Devotio, ut unus eorum (teste Gubern. de Miss. ant. fol. 487. & Wad. Tom. 2. fol. 647. n. 10.) nomine Hayto II. anno 1294. abdicato Regno, S. Religionis habitum assumpserit, sub nomine Fr. Joannis.

Item anno 1248. Idem Pontifex Innocentius IV. suum proprium Penitentiarium, nostrum P. Laurentium de Portugal, cum pluribus ex Ordine S. Francisci ablegavit in Tartariam, qui magnum Chamum, cum non paucis Principibus, nec non Regem Sartaco sacro Baptismatis fonte abluit, ac in illis regionibus pro Ordine Seraph. unam completam Vicariam cum multis Monasteriis erexit. Similiter Imperatorem Orientalem Michaelem Palaeogolum, cum 40. Principibus ad gremium Ecclesiæ traxit Hieronymus ab Ascuso, associatus aliis FF. Minoribus, Missionariis Apostolicis. Gubern. de Miss. ant. fol. 278. & seqq. Quiaimò, paucis complectendo multa, in tantum, primo statim Ordinis seculo, Seraphica Religio in reduceadis ad veram lucem errantibus desudavit, se subique Terrarum dilatando, & veram Fidem prædicando, ut Alexander IV. jam anno 1258. Bullam, Apostolici fervoris testem, ex pediverit ad Fratres de Ordinine Minorum in Terris Saracenorum, Paganorum, Grecorum, Bulgarorum, Cumani, Ethiopum, Syrorum, Hyperorum, Alanorum, Gazarorum, Gotherum, Zicharum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Gregorianorum, Armenorum, Indorum, Moscelinorum, Tartarorum, Hungarorum, &c. Ita Bulla in formalibus apud Wad. T. 2. fol. 169. n. 1. Viderietiam poterit Petr. Ant. de Venet. T. I. p. 1. c. 7. per tot. fol. 74. & seqq.

VI. S. Bonaventura, Ordinis Minorum anno 1256. electus Generalis, ac postmodum Cardinalis, scriptis, & factis, Seraphico Spiritu plenis, universo Orbi Catholico tantum profuit, ut à Gregorio X. Columna totius Christianitatis appellaretur, & à Sixto V. inter præcipuos Ecclesiæ Doctores numeraretur.

Concilium generale Lugdunense anno 1247. ex 500. totius Orbis Episcopis, præter plures Cardinales, & Doctores, in præsentia Summi Pontificis Gregorii X. Congregatum, Bonaventura noster, quasi Spiritus membra Corporis, direxit, assistentibus sibi Rothonegensis, & Tripolitanis Episco-

Episcopis, qui & ipsi de Religione S. Francisci erant. Indefesso suo labore optatam procuravit, Græcam inter, & Latinam, Ecclesiæ unionem, da qua Breviarium Franciscanum ad diem 19. Julii.

Psalterii B. V. MARIE, utie etiam pulsus campanæ, tam ad Elevationem S. Hostiæ in Missâ de die, quâm ad noctem pro salutatione Angelicâ, ipse Author fuit: Nec non, teste *Marchant.* 12. fund. p. 2. f. 160. Piarum inter Laicos Sodalidatum institutioni initium dedit Romæ circa anno 1270. per celeberimam Archiconfraternitatem Confalonis. Similiter devotissimam orationem *Sacro-sanctæ, & individua Trinitati &c.* quæ post Horas Canonicas recitari solet, ipse disposuit; cui postea Leo X. annexuit plenariam remissionem omnium defectuum in qualibet hora Divini Officii ex humana fragilitate commissorum. Insuper, juxta *Jo. Domin. Musentium S. J. in fâce Chronol. Tab. 2.* primus omnium eodem anno 1270. perswasit Cardinalibus modum instituendi Conclave ad Summum Pontificem eligendum.

Plura de hoc Seraphico Viro, tum apud alios passim, tum apud *Petr. Ant. de Venet. Tom. I. fol. 378. & Tom. II. fol. 13. ac 372.* videri poterunt.





SÆCULUM II. ORDINIS SERAPHICI ab anno MCCC. usque ad annum MCCCC.

Q U A E R I T U R I.

Quinam hōc secundo Ordinis Sæculō extiterint Summi Pontifices, ac quibusnam Gratiis Religionem Seraphicam foverint?

REpond. Bonifacio VII. anno 1303. demortuo.

I. Successor fuit *Benedictus XI.* (aliis vocatur *X.*) Italus, amata Nicolaus Boccaasinus ex sacro Ordine Prædicatorum, qui brevi tempore multa præstitit, præsertim concementia Ordinem, vel in Ordine particulares personas. Specialiter favorablem edidit Bullam, videndum in *Supplemento Waddingi* ad annum 1304. pro Franciscanis, & Dominicanis, quoad licentiam prædicandi, Confessiones excipiendi, & sepeliendi quemvis, qui apud illos sepulturam elegerit. Resxit Ecclesiam usque ad annum

1304.

II. *Clemens V.* Gallus, ante Bertrandus: sub isto Pontifice terminata fuit controversia inter Fratres Minores de Communitate, & intes alios ferventiores Regulæ Zelatores, sub nomine *Spiritualium* in *Thuscia*, & *Gallia Narbonensi* tunc temporis existentes; ubi *Spirituales* isti coram hoc Summo Pontifice priores in pluribus sacræ Regulæ punctis deserebant: Econtra verò Superiores de Communitate similia, vel per *Calumniam*, vel faltem per malam informationem sibi imputari conquerabantur,

bantur, addentes, si quæ etiam talia alicubi fierent, rigidè puniri, & propterea atiam facta esse Statuta multùm stricta. Ad præscindendas inter utramque partem ulteriores lites verè Clementis mus, & Providentissimus Pater anno 1311. edidit famosissimam, & post illam Nicola. III. Exit, qui seminat &c. in Ordine Seraphico celeberrimam Declarationem *Exivi de Paradiso* &c. antecedenter coram Cardinalibus in Concilio Viennensi mature examinatam, coram toto Patrum Confessorum lectionam, publicatam, ac Corpori Juris Clement. *Exivi de Verb.* Signif. postmodum insertam. Cujus Declarationis proœmium sic sonat: *Exivi de Paradiso, dixi rigabo horum plantationum, ait ille cœlestis Agricola.* Qui vere fons sapientia, Verbum DEI à Patre in Patre manens genitum ab aeterno, novissimè diebus istis fabricante Spiritu Sancto in utero Virginis caro factum, exiit homo ad opus arduum Redemptionis humani generis peragendum, exemplar sequendum cœlestis vita, præbene hominibus semetipsum. Verum quia plerūque mortalis vita sollicitudinibus pressus homo mentis aspectum ab exemplaris hujusmodi intuitu diversebat; Verus noster Salomon in solo militantis Ecclesia hortum voluptatis, inter ceteros quemdam fecit, à procellos mundi fluctibus elongatum, in quo quietius, & securius vacaretur contemplandis observandisque hujusmodi operibus exemplaris, in hunc intravit ipse, ut rigaret ipsum fecundis, aquis Spiritualis gratia, & doctrina. Hic hortus, siquidem est Fratrum Minorum Sancta Religio, qua muris Regularis observantia firmiter undique circumclusa intra se solo contenta DEO, adornatur abunde novelis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens dilectus DEI Filius mortificationis pœnitentia myrrham metit cum aromatibus, qua suavitate mira universis odorem attrahentis sanctimonia circumfundunt. Hac est illa cœlestis vita forma, & Regula, quam descripsit ille Confessor Christi eximius Sanctus Franciscus, ac servandam à suis Filiis verbo docuit pariter, & exemplò. Hanc Declarationem plurimum promoverunt instantes preces Roberti, & Sancia, utriusque Siciliæ Regum, qui pro defensione Seraphici Ordinis in pluribus Epistolis non solum Regni opes, sed & sanguinem proprium obtulerunt. Quanto alioquin affectu dictus Pontifex in Seraph. terebatur Religionem, facile colligere est ex allegata Declaratione, in qua fatetur, se jam à teneris annis exarsisse erga hunc S. Ordinem.

diem, quem militantis Ecclesia Hortum voluptatis intitulare, & Regulam ejusdem formam vita Cœlestis nominare in usu habuit. Joannem Vizalem Franciscanum ad Cardinalatum promovit, & Ecclesiam rexit usque ad annum 1314.

III. Joannes XXII. Gallus, antea Jacobus de Ossa, Ordinis nostri singularis amator, prout ipsem testatur apud Gubernatis Tom. I. lib. 4. fol. 568. atque effectu probavit, dum teste Petr. Ant. de Venet. Tom. I. fol. 400. duos illos famosos Theologos, Bertrandum de Turre, & Petrum Aureolum Cardinales creavit, atque Ludovicum Episcopum Tolosanum, ejusdem Ordinis, canonizavit. Hic Pontifex in Bulla: *Quorundam exigit*: primò Pontificatus sui anno edita, ac reperienda in Corpore Juris Canonici Extravag. *Joan. XXII. Quorundam &c.* approbavit Declarationes Nicolai III. & Clementis V. tanquam solidas, claras, lucidas, multaque maturitate digestas. Et licet contra Michaelem Casenam, Guilhelmum Occamum, ac quosdam alios, Ludovico Imperatori contra Pontificem addictos, vehementer fuerit exacerbatus, affectum tamen erga Ordinem ipsum, sibi majori ex parte adhaerentem, nunquam dimisit, prout testantur literæ ad Joannam Franciæ Reginam exaratae, sub his formalibus, quod ex tunc affectus noster ad eundem Ordinem auctus est merito, non mutatus. Gubernat. Tom. I. l. 3. fol. 354. De cætero qua die, quo modo excitatæ controversiæ de Paupertate Christi &c. fuerint sepultæ, patet partim ex Chronicis, partim ex dicendis de Generalibus Michaeli Casena, & Gerardo Oddonis. Rexit Ecclesiam usque ad annum 1334.

IV. Benedictus XII. (alii appellant XI.) Gallus, antea Jacobus Furiarius, ex sacro Ordine Cisterciensium assumptus. Hic tantum Pater næ dilectionis, & charitatis affectum gerebat erga Fratres Minores, ut literis, ad Generale Capitulum datis, Ordinem istum inter sua, & Apostolicæ Sedis præcordia recumbere attestatur; idem repetit in suis Constitutionibus de anno 1336. (quas vulgo Benedictinas à nomine Pontificis vocant) pro Gubernio Ordinis editis, & apud Gubernatis T. III. f. 27. videndis: verum cum hæ Constitutiones, etsi maturò plurimum Doctorum consilio, uti ibidem ait Pontifex, fuerint congregatae, vix sint à primo Ordinis rigore non nihil recedere, post mortem Benedicti à zelato-ribus

ribus in variis Comitiis fuerunt iterum dimissæ, & jam anno 1354. Constitutiones Sancti Bonaventuræ in duodecim capita distinctæ denud à Capitulo Generali in viridi Observantia confirmatae. Rexit Ecclesiam usque ad annum

1342.

V. Clemens VI. Gallus Benedictinus, prius Petrus Rogerius. Multa Pontifex iste Religioni nostræ verè Clemens exhibuit beneficia apud Waddingum hic videnda, qui pariter, teste *Antonio Melissano in Supplimento Wad. ad an. 1344. & 1350.* ex Fratribus Minoribus creavit duos Cardinales, videlicet *Eliam de Nabinallis anno 1342. & Pastorem de Serascadero anno 1350.* Archi-Episcopeos vero, & Episcopos quam plures. Rexit Ecclesiam usque ad annum

1352.

VI. Innocentius VI. Gallus, antea Stephanus Auberti, zelavit plurimum Regulæ Observantiam, dum anno 1354. per literas plus quam Paternas ad hortatus est Capitulum Generale, Assisi congregatum, ut Seraphici Patris doctrinam, & vestigia salutaria imitarentur. Hac de re in dicto Capitulo Constitutiones S. Bonaventuræ reassumptæ fuerant. Porro quanti habuerit Seraphicam Religionem, patet partim ex eo, quod teste *Petr. Ant. de Venet. T. I. f. 406. &c. Eliam de Aredeo. Guilielmum Farinerium, & Fontanerium Vasseli,* ad sacram purpuram promoverit, partim literis ad Capitulum Generale Barcinonense anno 1357. datis, quarum initium, valde notabile, est sequentis tenoris: *In Firmamento Militantis Ecclesie, quod ipsius Ecclesia Fundator, & Rector Christus Jesus, quasi stellarum varietate, diversorum Ordinum pulchritudine decoravit, Sacer Ordo vester mira claritate resulget.* Ipsius enim Ordinis Professores fama celebres, praelati vita, & Sanctitate prælucidi Ecclesiam eandem latificant, dum sibi, & aliis edificant ad salutem &c. Rexit Ecclesiam usque ad annum

1362.

VII. Urbanus V. Gallus Benedictinus, antea Guilielmus Grimoaldi, val Grisatus, qui plurimos ex Seraphica Religione speciali autoritate, privilegiis, & gratiis Apostolicis munitos in diversas mundi partes ad animarum messem colligendam ablegavit. Præter alios misit 72. Fratres Minores ad Tartaros, 25. ad Walachos, & totidem ad Georgianos, de quibus vid. *Gubernat. de Mission. ant. fol. 504.* Insuper Joannem Paleologum VI. Græcorum Imperatorem Schismaticum diuturno Fratrum Minorum labore conversum anno 1369. unioni S. Matris Ecclesiae restituit.

& Marcum Viterbiensem Generalem sacrâ Purpurâ insignivit. Sub eodem Pontifice Paulus de Trincis, qui etiam Paulutius Fulginas dicitur, anno 1368. Regularis Observantiae fundamenta jecit, unde tot magni Viri, uti SS. Bernardinus, Capistranus, Jacobus de Marchia &c. prodierunt. Porro, eti anno 1368. sacra Regularis Observantiae fundamenta posita fuerint, proprio tamen, & expresso Nomine ly Observantes primū à Concilio Constantiensi circa annum 1415. nuncupati fuere. - Videatur Gubernatis Tom. II. lib. 6. cap. 3. Rexit Urbanus V. Ecclesiam usque ad annum

1370.

VIII. Gregorius XI. Gallus, antea Petrus Comes Bellifortis. Hic à Gallia Curiam, à Clemente V. usque ad ista tempora ibi dimorantem, Romam transtulit, svadente id maximè S. Catharina Senensi. Multa pro Ordinis profectu providit. Inter alia Protectorum Cardinalium postatem, quam nonnulli ad detrimentum Ordinis à Protectione ad Gubernationem Subditorum nimis extendebat, in multis limitavit; quoniam Seraphicus Ordo alias jam habet suos Superiores in dirrigendis subditis prudentes, & expertos, ac Fratres subditos valde zelosos. Hinc in eodem Diplomate hæc formalia, amoris Paterni plena, adjunxit, nimurūm alias jam esse Fratres Ordinis Minorum in DEI Ecclesiæ multiplicibus splendoribus riantes, quorum sonus prædicationis, & Sanctitatis opera præ ceteris Religionum Professoribus usque ad extreum terra noscit exivisse &c. Bertrandum Lagerium. Purpuratorum Catalogo adscript. v. Gubern., Tom. I. fol. 497. &c. Rexit Ecclesiam usque ad annum

1378.

IX. Urbanus VI. Neapolitanus, antea Bartholomaeus Prignanus, qui statim in prima Cardinalium creatione Farignanum ex Otdine Minorum secrâ Purpurâ decoravit. Sub hoc Pontifice incepit Schisma, quadriginta fermè annis durans. Urbano Legitimo Papæ favebant Itali, Germani, Angli, & Hungari: econtra Roberto Gebennensi Cardinali sub nomine Clementis VII. Antipapæ adhærebant Galli, Hispani, & Cataluni, Religione Seraphica pariter cum pluribus aliis sacris Ordinibus in duas factiones divisa. Id nostræ Religioni pro consolatione cessit, quod eadem tempestate zelus Paulutij, ac sequacium pro stricta Regule Observantia acriter decertarit, proindeque S. Ordini plurima incrementa adjecerit. Neque invenio apud Guberyatis Tom. III. in quo Capitula Gene-

Generalia singula exakte describit, aliquam veram dispensationem Pontificiam in Regula pro Ordine impetratam, nec Statutum generale contra quodpiam præceptum Regulæ conditum. Plura de hoc Pontifice notabilia, ac verè stupenda videre poteris apud *Antonium Melissanum in Supplemento Waddingi ad annum 1378. & seq.* Rexit Ecclesiam usque ad annum 1389.

X. *Bonifacius IX.* Nobilis Neapolitanus, antea Petrus, seu Petrus Tomacellus, subrogatus demortuo Urbano VI. tamquam legitimus successor; Clementi vero Pseudo-Papæ Avinione è vivis decedenti superpositus Petrus de Luna, & *Benedicti XIII.* nomen per triginta annos usurpans, Schismati immortuus est. Bonifacius IX. principaliter per Breve allegatum à *Gubernatis Tom. I. fol. 448.* ordinavit, ut in Religione nostra semper instituerentur Provinciales scientiâ, & vitâ approbati, in Regulari Observantia, & Lege Domini eruditî: laxi autem, seu remissi auctoritate Pontifica per Generalem destituerentur. *Bartholomeum Uliarium* ex Ordine Minorum creavit Cardinalem, ejusque dexteritati atque prudentiæ plurimum confidens, destinavit Legatum ad *Ditiones Regni Neapolitani*, ut Partes Clementi Anti-Papæ addictas ad Ecclesiæ Romanæ obedientiam reduceret. Idem Summus Pontifex pro Ecclesia *Angerense*, Monachii in Bavaria sitâ, concessit Indulgentias Portiunculæ per 4. dies, uti integrum Bullam refert *supplementum Waddingi ad annum Christi 1401.* Rexit Ecclesiam usq; ad annum 1404.

QUÆRITUR II.

Quinam extiterint Generales in secundo Sæculo Ordinis? Respondeo sequentes.

I. *Gondisalvus de Valle bona Hispanus*, vel Lusitanus de Nobili Prospria, incomparabilis zelator Regulæ, & Declarationum Nicolai III. Exiit, qui seminat, ac Clementis V. *Exiit de Paradiso*: usque ad finem vitæ suæ perseverans in Generalatu. Gubernavit Ordinem usque ad annum 1313.

II. *Alexander ab Alexandria Italus*, eximiè doctus, non tamen erat rigidus

rigidus exactor Regularis Observantiae; præpropera morte abreptus, unicò anno Ordinem gubernavit, id est, usque ad annum - 1314.

III. Michael Cæsenas Italus, anno Domini 1316. in Comitiis Generalibus Neapolitanis, absens electus, postquam tam Sedes Poncifia, quam Generalatus ultra annum vocaverat. Hic eximiò Regulæ Observantiae zelo flagrans, ac Declarationibus Nicolai III. & Clementis V. novissimè, id est, anno 1313. publicatis insistens, statim ad initium sui Regiminis irrepentes post mortem Gondisalvi aliquorum laxitates, præsertim in puncto paupertatis, per servidas literas Encyclicas quantocuyus studuit amovere. Quia tamen cum aliis in Capitulo Perusii, año 1322. celebrato, doctrinæ de Paupertate Christi &c. utpote Ordini, & Decreto *Exitit &c.* Nicolai III. præjudicioræ, constanter contradixerat, atque cum Guilielmo Occamo, & nonnullis aliis, Ludovico Bavarо Imperatori contra Joannem XXII. adheserat, fuit ab eodem Pontifice año 1329. Generalatu exauthoratus, & usque ad proximam electionem novi Generalis Eminentissimus Cardinalis Bertrandus de Turre, ex Ordine Minorum, Episcopus Tusculanus, tamquam Vicarius Generalis à Summo Pontifice constitutus ad hoc, ut convocet Capitulum Generale, eique præsideat; Cæsenas verò gubernavit Ordinem usq; ad annum 1329.

IV. Gerardus Odonis, seu Oddonis, Pontifici Joanni XXII. acceptissimus, in Capitulo Generali Parisiensi año 1329. electus, cuius potissimum operâ sub isdem Comitiis per Joannem XXII. terminata fuit illa Ordini molesta controversia de Paupertate Christi, & FF. Minorum, similque explicata ab ipso Pontifice questionis difficultas, & in unum sensum redacta Declaratio *Exitit &c.* Nicolai III. ac decisio Capituli Perusini cum doctrina Joannis Pontificis in Extravag: *Quia nonnunquam: ac seqq. de Verb. Signif. reperienda.* Sic facta est in Ordine tranquillitas magna. Vide de totâ hac lice, progressu, & fine fusiùs Wadingum ad annum 1321. & seqq. Illud in Gerardo Odonis carpendum est, quod contra paupertatem, cuius planè non erat amator, quædam sub variis speciosis titulis introducere attentârit. At renitentibus zelatoribus Regulæ, ipse Summus Pontifex Joannes XXII. cum Cardinalibus præsentibus, eadem reprobavit. Obtinuit tamen aliquam Declarationem Regulæ à Successore Pontifice Benedicto XI. quæ, et si necdum dispensativa esset, ex parte tamen à primo Ordinis rigore declinavit, indeque post mortem

mortem Pontificis iterum suppressa est, de qua superius. Cæterum Ecclesiæ Catholicæ multa bona præstitit præsertim in *Bosniâ*, ubi Principem ejusdem cum plurimis Manichæorum hæresi infectis ad veram fidem perduxit, & sectam illam ibidem (ut ait *Gubernatis Tom. III. fol. 47.*) prædominantem extinxit. Promotus ad Patriarchatum Antiochenum felicem vitæ coronidem imposuit. Gubernavit Ordinem usq; ad an. 1341.

V. *Fortanerius Gallus*, ex illustri profapia natus, & inter primos sui ævi Theologos singulariter conspicuus. Erat is servidus sacræ Regulæ propugnator, zelatorum sautor, & Constitutionum Seraphici Bonaventuræ pro strictiori Observantia restaurator. Subinde Archi-Episcopus Ravennatensis, Patriarcha Gradensis, ac plures Legationibus Apostolicis functus, & meritissimis in Ecclesiam plenus, creatus Cardinalis. Rexit Ordinem usq; ad annum 1348.

VI. *Guilielmus Farinerius Gallus*, vir doctissimus succedens priori non solum in Officio, sed etiam in zelo Seraphico; demum sacro Cardinalium Collegio titulo SS. Marcellini, & Petri cooptatus. Rexit Ordinem usque ad annum 1357.

VII. *Ioannes Buchius Gallus*, duorum prædecessorum in studiis consodalis, & in virtute, doctrina, ac zelo Seraphico non inferior; ci- cius, quam vota ferebant, vitæ functus, id est anno 1358.

VIII. *Marcus Piterbiensis Italus*, qui, etsi ad summè ardua Ecclesiæ negotia Legatus fuerit à Summo Pontifice Urbano V. destinatus, non tamen neglexit teste *Gubernatis Tom. I. fol. 165. n. 7.* ea pertractare, quæ pro Ordinis sanctitate atque profectu erant necessaria; Patriarchatu Gradensi, & Cardinalitia dignitate donatus. Rexit Ordinem usque ad annum 1366.

IX. *Thomas de Farignano Italus*, Bononiæ Professor Publicus, Concionator insignis, & inter primarios per Italianam Theologos tunc temporis floruit. Hic fundamenta Regularis Observantiae, ringentibus licet laxioris vitæ sectatoribus, mirifice promovit: Pacem, & Concordiam inter Reges, Principes, & Republicas dissidentes, tamquam Legatus Apostolicus, feliciter restituit. Plurimis laboribus pro Ecclesia Catholica perfunditus, ad Gradensem Patriarchatum, postrem ad Cardinalatum fuit electus. Gubernavit Ordinem usque ad annum 1372.

X. *Leonardus de Rubeis*, vel *Giffonibus* insistens vestigiis antecessoris sui,

sui, B. Paulucium de Trincis, ejusque Regularis Observantiae sequaces sincero affectu, magnis impertitis privilegiis, protexit. Huic Generali tam Urbanus VI. recognitus ut Pontifex ab Italibus, Germanis, Hungaribus, & Anglis, quam Clemens VII. acceptatus, ut Papa à Gallis, & Hispanis, obtulerunt Galerum Cardinalitium; quia tamen cum plurimis, etiam doctissimis viris, cuiuscunque Nationis credidit potius Clementem VII. Legitimum Petri successorem, ab eodem tandem Pileum Cardinalitium recepit; quod Urbanus VI. indignanter ferens eundem Generatum privavit. Gubernavit Ordinem usque ad annum 1379.

XI. *Ludovicus Donatus Nobilis Venetus, & Inquisitor hæreticæ pravitatis, nec ipse Observantibus zelatoribus adversarius, quibus aliquot Conventus assignavit, ac in Capitulo Strigoniensi cum Patribus congregatis statuit, ut aliquot pii, probi, experti, & Regularis disciplinæ zelum habentes deputentur, qui de tollendis, si quos irrepsisse deprehensum fuerit, abusibus, & moribus reformatis diligenter agant, ac regulas præscribant.* Sub Urbano VI. in tertia Cardinalium Promotione creatus in Cardinalem, brevi tamen expertus est inconstantis fortunæ ludibrium. Latius de hoc *Supplementum Ordinis Antonii Melissani ab anno 1381. usque ad annum 1386.* Gubernavit Ordinem usque ad annum 1383.

XII. *Petrus de Caffana Italus.* De hoc Generali nil potui inventire, nisi quod *Pater Sannig in Chronica part. 4. lib. 1. cap. 5.* testetur, suis fe eundem magnum amatorem, & defensorem Regularis Observantiae. Post unius anni, & aliquot mensium gubernium sub actuali visitatione Hetruriæ obiit in Domino. Ordinem gubernavit usque ad annum 1385.

XIII. *Martinus San-Georgio à Riparolo Italus, primæ Nobilitatis vir, & jam anno 1376. inter primos Ordinis sacrae Scripturae Doctores ingeniti laude præfulgens, favebat semper Observantibus, & sovebat puritatem Regulæ. Immatura morte præventus biennio finiit suum gubernium, id est, anno 1387.*

XIV. *Henricus Alferius Pedemontanus Italus, pariter Nobilitate, ac virtute conspicuus. Erat amator Seraphicæ Observantie; hinc que B. Paulucium de Trincis, ac sequaces S. Regulæ zelatores omnibus, quibus*

quibus potuit, modis excitavit ad prosequendum, & ampliandum tam
Sanctum intentum, quem etiam Commissarium desuper instituit cum
amplissima facultate. Obiit Nonagenarius, postquam gubernavit Or-
dinem usque ad annum 1405.

QUÆRITUR III.

Quænam Generalia Capitula fuerint cele- brata in secundo Sæculo Ordinis? Respon. sequentia.

- | | | | |
|-------|--|--|-------|
| I. | A | ssisi in Italia, electo Generali Gondisalvo de Valle bona anno | 1304. |
| II. | Tolosæ in Gallia, continuante Generalatum eodem Gondisalvo anno | 1307. | |
| III. | Patavii in Italia sub dicto Generali, anno | 1310. | |
| IV. | Barcinone in Hispania, electo Generali Alejandro ab Alexandria anno | 1313. | |
| V. | Neapoli in Italia, electo Ministro Generali Michaële Cæsena, anno | 1316. | |
| VI. | Marsilliæ in Gallia sub præcedente Generali, anno | 1319. | |
| VII. | Perusii in Italia, præsidente adhuc Generali Michaële Cæsena, anno | 1322. | |
| VIII. | Lugduni in Gallia, perseverante in Generalatu Michaële Cæsena, anno | 1325. | |
| IX. | Bononiæ in Italia, cuius tamen acta ab irritato Pontifice Jo-
anne XXII. fuerunt rescripta, Michaël Cæsena exauthoritatus, & ne Or-
do existeret sine Capite, ad interim usque ad futura Comitia Bertrandus
<i>de Turre</i> , jam actualis Cardinalis ex Ordine Minorum, constitutus Vica-
rius Generalis anno | 1328. | |
| X. | Parisiis in Gallia, electo Generali Gerardo Odonis, in quo
terminabatur per Concordiam famosa illa lis de <i>Pauerpate Christi</i> ,
anno | 1329. | |
| XI. | Perpigniani in Gallia, sub eodem Generali, anno | 1331. | |
| XII. | Affissi in Italia, sub hoc ipso Generali, anno | 1334. | |
| XIII. | | | |

XIII.	Caturci in Gallia existente Generali adhuc Gerardo, in quo Capitulo emanarunt Constitutiones, seu Declarationes Benedictinæ, de quibus supra, anno	1337.
XIV.	Affissi in Italia sub eodem Generali, anno	1340.
XV.	Marsiliæ in Gallia, electo Generali Fortanerio, in quo Capitulo Decretum emanavit, ad Statuta Narbonensia à S. Bonaventura edita, observanda anno	1343.
XVI.	Venetis in Italia sub eodem Generali Fortanerio, an.	1347.
XVII.	Veronæ in Italia, electo Generali Farinerio, qui non debet confundi cum præcedente Fortanerio, anno	1348.
XVIII.	Lugduni in Gallia sub priori Generali, anno	1351.
XIX.	Affissi in Italia sub eodem Generali. Fuerunt ibi Constitutiones S-Bonaventuræ in duodecim Capita distinctæ, quibūsdam additis, quibūsdam remotis secundūm novas temporum exigentias promulgatæ, anno	1354.
XX.	Barcinone in Hispania, electo Generali Joanne Buchio, anno	1357.
XXI.	Genuæ in Italia, electo Generali Marco Viterbiensi, an.	1359.
XXII.	Argentinæ in Germania sub eodem Generali, anno	1362.
XXIII.	Florentiæ in Italia, sub prædicto Generali, anno	1365.
XXIV.	Affissi in Italia, electo Generali Thoma Farignano, anno	1367.
XXV.	Neapoļi in Italia, sub eodem Generali, anno	1370.
XXVI.	Tolosæ in Gallia, electo Generali Leonardo de Rubeis, anno	1373.
XXVII.	Aquilæ in Italia, sub eodem Generali, anno	1376.
XXVIII.	Strigonii in Hungaria, electo Generali Ludovico Donato, anno	1379.
XXIX.	Ferariæ in Italia, electo Ministro Generali Petro Cassaneo, anno	1383.
XXX.	Patavii in Italia, electo Generali Martino San-Georgio, anno	1385.
XXXI.	Florentiæ in Italia, electo Generali Henrico Alferio, anno	1387.
XXXII.	Mantua in Italia, sub præcedenti Generali, anno	1390.
XXXIII.		

XXXIII. Coloniae in Germania, sub eodem Generali, an.	1392.
XXXIV. Arimini in Italia, perseverante in Generalatu Henrico, anno	1396.
XXXV. Assisi in Italia, sub eodem Generali, anno	1399.
XXXVI. Iterum Assisi, continuante Generalatum Henrico Al- ferio, anno	1402.

QUÆRITUR IV.

*An Seraphica Religio, adhuc indivisa sub
uno Capite, etiam hoc secundo Sæculo servaverit Regu-
lam literaliter, absque dispensatione Apostolica?
Respondeatur affirmativè.*

Imprimis enim hoc sæculo emanavit Declaratio *Exivi de Paradiſo &c.* literæ ipsius Regulæ summè conformis ab universo Ordine acceptata. 2d. Nulla Pontificia dispensatio in aliquo puncto Regulæ à Generali quodam Capitulo, in quo totum corpus congregatum censebatur, fuit unquam hoc sæculo recepta, prout constat perlustranti apud *Gubernatis Tom. III.* singula Capitula Generalia. 3ti. Generales hujus sæculi, superiùs descripti, erant à potiori zelatores Regulæ, si solus *Alexander ab Alexandria*, subditis transgressoribus nimium remissus; & *Gerardus Odoris* in tractandis pecuniis nimium laxus, excipiantur; quorum tamen prior unicò duravit anno in Generalatu: alter vero semper invenit zelatores, suo apud Pontificem attentato resistentes; quin & ipsumet Pontificem Joannem XXII. ac Cardinales in hoc sibi contrarios. Fuit insuper, ut deinceps simili attentato obvietur, sub ipso Capitulo Generali, etiam praesente Gerardo, teste *Gubernatis Tom. III. fol. 26.* statutum, ne ullus deinceps Minister Generalis posset impetrare privilegium ullum, quod puritati Regulæ derogaret. Enī constantem zelum pro conservanda Regulæ puritate. Ex licet post mortem Joannis XXII. à Benedicto Successore ad instantiam dicti Gerardi emanarint aliquæ Ordinationes vulgo *Constitutiones Benedictina* dictæ, quæ in nonnullis videbantur recedere à primo rigore Ordinis; attamen

nec illæ, in recto sensu acceptæ, fuerant dispensativæ. Nihilominus pro majori adhuc securitate, & ne laxioribus daretur ansa abutendi &c. in istorum locum post mortem Benedicti Pontificis fuerunt subrogatis Constitutiones S. Bonaventuræ. Cæteroquin negare neutiquam voluntas, etiam hōc sæculō, præsertim durante ferme pet annos quadraginta diro, ac Ecclesiæ summe nocivo Schismate, varias laxitates apud nostram, & alias sanctas Religiones in diversis locis, ac Provinciis irreplisse: eadem tamen à nullo Generali Capitulo fuerunt approbatæ, sed potius contra Relaxatores intra ipsum Corpus Religionis quædam Reformationes admissæ, atque potenter à servidis Generalibus protestæ, & dilatatae, ut patet ex superiùs dictis quoad Familiam Pauli de Trincis Regularis Observantiaæ initia facientem, & sub Generib[us], suprà Quarto II. descriptis, foventibus, & faventibus in dies augmentatam.

QUÆRITUR V.

*Quænam Memorabilia pro DEI Ecclesia
a Fratribus Minoribus facta sint secundo suo Sæculo?*

Respondeo, præter non pauca alia, etiam sequentia,
 I. Ad initium ejusdem eminentissimos scientiæ suæ radios ubique Terrarum sparsit Ven. DEI servus *Ioannes Duns Scotus*, qui à celeberrimâ Universitate Parisiensi *Doctor Subtilis* fuit proclamatus, & à Summo Poetifice in eodem titulo confirmatus, postquam circa annum 1304. in publica Disputatione ibidem, sub numero doctissimorum Virorum confluxu *SS. Immaculatæ Conceptionis Mysterium*, summa omnium admiratione, defendit, Adversariozum argumenta ducenta sub actuali concertatione mira Ingenii sublimitate dissolvens. Quæ Disputatione cum solennitate peracta iniijum dedit, ut Festum hoc fuerit successivè universam Ecclesiam extensem: promeritus inde, etiam *Doctor Marianus* appellari. Fundatorem suum reveretut Schola Scotistica, una ex tribus celeberrimis totius Ecclesiæ, cuius saluberrima Doctrina in œcumenicis Conciliis (novissimè Florentino, & Tridentino, præserim quoad materias de Processione Spiritus Sancti ex Filio, & de Justificatione) fuit

ex integro applicata, nec non testibus gravissimis Authoribus, etiam extraneis, apud Petr. Ant. de Venet. Tom. II. fol. 26. allegatis. semper aestimata pro Armamentario omnigenæ scientiæ ad confutandum quemvis errorem; insuper tantæ securitatis est judicata, ut S. Tribunal Romanæ, & Universalis Inquisitionis anno 1600. præceperit librorum Censoribus, semper intactum relinquere, quidquid Scotti esse constiterit.

Plura de hoc clarissimo, & Ecclesiæ Catholice Romanæ summè proficuo Doctore, vide apud nostros Auctores passim, notanter apud Waddingum, Brizenum, Bonaventuram Baro, Marcum Ulissiponensem, Petr. Ant. de Venot. Tom. II. fol. 21. & fol. 333. & novissime apud Hieronymum à Monte Fortino in Prolog. ad Tom. I. sue Summa Theologica.

II. In Europa prodierunt subtilis Doctoris Joannis Duns Scotti Discipuli, ac simul Zelosi Seraphici Patris Francisci filii, qui haustam suo Magistro dignam scientiam dictis, & scriptis, ad magnum Ecclesiæ ornamentum æquè, ac incrementum, ubique divulgârunt. Inter hos Alvarus Pelagius per suum Collyrium adversus Heres, aliaque celeberrima scripta multos ad veram Fidem convertit

Idem præstiterunt insignes Scotistæ, partim prædicatione Verbi DEI, pattim doctissimis libris, videlicet Joannes de Ripa, alias vocatus Doctor difficilis, Franciscus Majoranus Doctor illuminatus, Antonius Andres Doctor dulcissimus, Galfredus della Fuente Doctor venerandus, Joannes Bassolius Doctor ordinatissimus, Hugo de Castro Doctor scholasticus, Petrus Aureolus Doctor fætundus, &c. omnes Fratres Minores.

Singulare meretur Eneomium Nicolaus de Lyra Doctor planus & nūlis appellatus, qui suis Commentariis in universam Bibliam, per plures Tomos distributis, ac potenti svadâ, ultra sex mille Judæos è tenebris pertinacis ignorantiæ ad Lumen veritatis Catholice perduxit, de quo, uti de pluribus adhuc aliis, vid. Petr. Ant. de Venet. Tom. II. p. I. fol. 46. & seqq.

His adnumerandus venit Guilielmus Occamus, Scotti quondam Discipulus, postea Scholæ distinctæ Nominalium Caput, Doctor invincibilis, Venerabilis Inceptor, & Doctor singularis communiter vocatus. Scimus quidem de hoc varios variè sentire, nec ignoramus delicatis æque ac turbulentis illis temporibus, ubi supremi Orbis Principes mutuis inter se certabant dissidiis, quædam ejusdem Opera pro Ludovico Imper.

contra Joannem XXII. acri calamo scripta, esse improbata. Sed silentio prætereundum non est, eundem seriō desuper ante mortem pœnituisse, & absolutionem ab Excommunicationis sententiā à Clemente VI. obtinuisse, prout testatur *Wadding.* & dictæ absolutionis Decretum per extensum adducit *Tom. III. Annal. fol. 550. n. 20.*

III. In *Bulgaria*, & finitimis Regionibus cùm Ludovicus Hungaricæ Rex easdem Gentilibus ab Barbaris ritibus & præstigiis infestas obtinuerat, octo Fratres Minores illuc hoc ipso sæculo destinati intra 50. dies ducenta millia hominum ad Christum adduxerunt, ex quo felici successu adhuc bis mille Fratres ad eundem finem fuerunt petiti.

Sub his temporibus alii 8. Fratres Minores in *Lithuania*, pro tunc ex toto Idolatriæ immersa, tantum effecerunt, ut, *Fagello* illius gentis Rege, mediante *Hedwige* suâ Sponsâ, Ludovici Hungaricæ Regis ultimò genita Filia, ad Fidem Catholicam conversò, & cum 9. Fratribus Germanis baptizatò, tota fermè populosissima gens baptismum efflagitariit. At cùm ob nimiam baptizandorum copiam quivis singillatim baptizari non posset, Jubente Rege multitudo illa in turmas & cuneos divisa, & cuivis turmæ, suffcienter aquâ baptismali aspersæ, distinximus nomen, pura *Petri* vel *Pauli*, *Marie* vel *Catharina* &c. impositum est: *Marchant. p. 2. fol. 114. Fortun. Hieb. in Proloq. Menolog.*

IV. In *Aethiopia*, maxima *Africa* parte, Fratres Prædicatores & Minores plenos manipulos animarum in horreum Domini congregarunt: Id inaudiens Summus Pontifex Joannes XXII animum adjectit año 1321. & multò magis anno 1329. ex iisdem SS. Familiis multiplicandi ibidem Operarios. *Spondanus ad an. 1321. & Gubernat. de Mission. ant. fol. 607. num. 15.*

Anno 1315. *Bugia* in Mauritania illuminatus ille Scholæ Lullisticæ Doctor & Author, *Raymundus Lullus*; tertii Ordinis S. Francisci Alumnus, zeli animarum & singularis Doctrinæ rarum Exemplum, multa pro decore Ordinis, plurima pro gloria Ecclesiæ DEI laboravit, sustinuitque. Hic in diversis Africæ Provinciis, Ærumnas inter & persecutions varias, Saracenis convertendis haud sinè magno fructu omnem Operam locavit. In solâ Urbe *Bona*, S. Augustini Episcopatu celebri, 70. Philosophos *Averrois* sectatores, ad veræ Religionis Cognitionem convertit. Plenus meritis à tumulante plebe barbarè dilaniatus, &

tus, & pro mortuo habitus, acervō lapidum sepultus est. Cœlestis lux Christianis Mercatoribus semivivum reperire dedit, à quibus ad Navem deportatus paulò post diuturnum Martyrii genus gloriosâ morte finiit, Plura de hoc prodigioso scientiarum Portento, contra variorum Calumnias, & Ignorantias, qui eundem cum Raymundo de Terraga, Neophyto, seu Malitioso Judæo, fictè converso, pessimè confundunt, non solum in *Wad. Tom. 2. & 3. Gubernat. de Miss. ant. fol. 569. &c.* sed etiam in *Spondano Tom. 1. an. 1372. n. 13. Bollando Tom. 5. Junii fol. 633.* & allis legi possunt.

V. In *Asia*, tam Religioni Catholice quam Ordini Seraphico initium hujus saeculi valde glriosum reddidit *Joannes à Monte Corvino* ex Ordine Minor. Nuntius Apostolicus versus Orientem, qui unà cum zelosissimis Ordinis S. Dominici Patribus, ac nostraribus, in subsidium successivè supervenientibus, tantam in Tartaria Orientali, & China, seu Sina Aquilonari (quæ tum *Cathayum* vocabatur) fecit animarum Messem, ut brevi totius Orientis Apostoli titulum adeptus sit. Anno 1307. à Clemente V. Archi-Episcopus Cambaliensis, nec non in partibus Orientalibus Legatus Apostolicus declaratus. Idem Summus Pontifex alios septem Episcopos, tanquam suos suffraganeos, ex Ordine nostro assumptos, eidem adjunxit, quibuscum dein Ecclesias Cathedrales, ac Fratrum Monasteria fructu inexplicabili tum erexit, tum multiplicavit, Is *Joannes à Monte Corvino, Cobylam.* Tartarorum Imperatorem. qui in Sina Aquilonari Imperiale erexit Palatum, unà cum sua Matre, & plusquam 30. millibus subditorum baptizavit, ac ad tantam Christianam perduxit pietatem, ut corpus ejus, regio apparatu in Ecclesia & Habitu Fratrum Minorum sepultum, post plures annos fuerit adhuc integrum & incorruptum inventum.

Nec cessit priori, in zelo verè Seraphico, erga animas pretioso JESU Christi Sangvine redemptas, *Odoricus Forliviensis*, qui per 17. ferme annos diversas percurrentes Provincias Orientales, ex Medis, Persis, Indianis, & Saracenis ultra 20. Millia S. Baptismatis fonte abluit, anno 1331. ad superos vocatus, ut debitam sui laboris Apostolici reciperet Mercedem. Vid. *Gubernat. de Miss. ant. fol. 388. n. 114. Petr. Ant. de Venet. Tom. 1. fol. 79.* & novissime *P. Musantius in face Chronol. Romæ anno 1728. edita Tab. 2.*

VI. Quantumvis Seraphicus P. N. Franciscus præcedenti jam sæculo in Syriam & Ægyptum pergens à Sultano, præter liberam prædicandi Evangelium licentiam, aliquot Terræ sanctæ loca obtinuerit, nec non eodem tempore S. Patris Filii Apostolicas Missiones, & habitacula sua ultra Syriam in Mesopotamiam, Chaldæam, & Babyloniam adeò extenderint, ut teste *Gubern. de Mission. ant. fol. 511.* Sanctus Bonaventura jam anno 1260. completam ibidem Provinciam in suo Catalogo posuerit, nihilominus quoniam eadem, prohdolor! ultimo Ptolomaidis excidiō pariter per Saracenos extincta fuit, illud secundō Ordinis sæculō Memorable censetur, quod sub Turcarum jugo reviviscere incæperit, non solum, eò quod noster Fr. Rogerius Guarini, Missionis Armenicæ Præfectus, in Ægyptum divertens an. 1333. redditum nostrorum Patrum in aliqua Terræ S. loca à Sultano de novo inpetraverit, verum etiam, quia Clemens VI. intervidente Regis utriusque Siciliæ Roberti, suæque Augustissimæ conjungis *Sanciae* intercessione, hunc pretiosissimum Christi Thesaurum soli Religioni Saraphicæ per proprium Diploma concredidit; & hanc nobilissimam Gemmam, medios inter inimicos Crucis Christi, ad hæc usque tempora sanctè conservat, tametsi sacra hæc Custodia plurimo Fratrum Minorum sangvine constiterit, prout *Petr. Ant. de Venet. Tom. 2. fol. 100. & seqq.* ultra 200. ejusmodi Martyres enumerat.

Obtinent in Terrâ sancta Franciscani plures Conventus, Hospitia, & Parochias, in quibus ipsis superabundas Messis datur in Vinea Domini jugiter laborandi. Vid. *Gubernat. loc. cit. & fusissimè Petr.*

*Ant. de Venet. Tom. 2. pag. 6. per totum, præsertim
cap. 5. fol. 106.*



SÆCU-



SÆCULUM III.
ORDINIS SERAPHICI
id est
ab anno MCCCC. usque ad
annum M.D.

QUÆRITUR I.

*Quinam Pontifices hoc Tertio Religionis sœculô vixerint, & quas huic gratias contulerint ?
Respondeo sequentes :*

I. *Innocentius VII. Italus, antea Cosmus de Melioratis, aetate jam Grandævus, hincque intra biennium vitam cum dignitate finiens. Creavit ex Ordine Minorum Petrum Philargum Cardinalem, qui postea juxta dicenda electus est Pontifex, sub nomine Alexandri V. Rexit Ecclesiam usque ad annum 1406.*

II. *Gregorius XII. Venetus, antea Angelus Corarius, qui ante Electionem cum omnibus reliquis Cardinalibus juramentum praestitit deponendi iterum (suppositio. quod eligeretur) mitram Pontificiam, si ita Ecclesiæ, tam longo Schismate in duas partes dississa, publica utilitas exigeret. Hoc juramentum, ut Papa actualiter electus de novo confirmavit, quod etiam fecit Antipapa sub nomine Benedicti XIII. Ast dum post ea re ipsa uterque juramentum tam solenne ob pretensas variae rationes, & excusationes non observaret cum ingenti totius Ecclesiæ detimento, Cætus Purpuratorum, congregatò Pisis Conciliò, utrumque, non*

non obstante eorundem contradictione, exauthoravit, novumque elegit Pontificem, de quo proximè. Cæterum dictus Pontifex Gregorius turbulentis illis temporibus innovavit Constitutionem *Benedicti XII.* qua Fratres Minores eximuntur à Jurisdictione Prælatorum Ecclesiasticorum, & rexit sub controversiis continuais Ecclesiæ usque ad annum 1409.

III. Alexander V. ex Ordine Minorum S. Francisci, antea Petrus Philargus dictus natione Cretensis, seu de Candia, Archi-Episcopus Mediolanensis, & Titulô Basilicæ XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis. Intendit plurima pro universalis Ecclesiæ & Ordinis incremento, mors tamen nimis præpropera tumulavit cuncta, cum vix uno anno in Cathedra D. Petri federit; vir erat profecto altissimæ scientiæ teste *Bolland in act. SS. T. 5. May. fol. 198**. mortuus & sepultus Bononiæ apud FF. Minores 1410.

IV. Joannes XXIII. Neapolitanus, antea Balthasar Cossa; Hic urgente potissimum Sidismo Imperatore per Bullam: *Ad pacem & exaltationem &c.* Universale, ac Ecclesiæ, afflictæ sumimè consolatorium Concilium Constantiense indixit, in quo perniciosum illud schisma ab Urbano VI. usque illuc perdurans tandem extinctum est. Nostris (quidquid alii de ipso sentiant) multa præstirit beneficia: *Nicolaum, Jacobum Girandum, Theodorum, & Alvarum*, omnes quatuor Fratres Minores instituit Pœnitentiarios Apostolicos, ac Generalem, in suis & Ecclesiæ arduis negotiis Legatum Pontificium in Anglia adhibuit. Rexit Ecclesiæ usque ad annum 1415.

V. Martinus V. Romanus antea Otto Columna dictus, & in Conilio Constantiensi, ingenti totius ferme Europæ applausu præsente etiam nperatore Sigismundo, electus. Sub Protectione hujus Pontificis *Reularis Observantia*, præter innumeratas alias gratias, adeò fuit dilatata, ut per universas Orbis Christiani partes ramos suos latè protenderit, & sub propriis *Vicariis Generalibus*, uti pariter *Vicariis Provincialibus*, ex suis semper, absque concursu aliorum *de Communitate*, electis, eximiè floruerit. Cum tamen ex hoc ipso aversiones aliquæ animorum inter Observantes, & illos *de Communitate* oriri viderentur, consultius duxit Summus Pontifex, sublatis illis Vicariis Generalibus & Provincialibus Observantium, in universo Ordine perfectiore adhuc, uti primis tempore

temporibus, totius Corporis sub uno Capite facere unionem, sanctamq; ad intra in iis locis, in quibus aliquæ laxitates irreplissent, reformatio nem; usus ad id operâ & consilio S. Joannis Capistrani, puritatatis Regulæ eximii Zelatoris. Exinde convocavit Comitia Generalissima 1430. Assisi celebranda, constituto Capituli Præside & Legato Apostolico Eminent. Cardinali Joanne Cervantes. Ad eundem finem conformiter menti Summi Pontificis ex Commissione Eminent. Præsidis Capituli. factæ sunt per S. Joannem de Capistrano novæ Constitutiones, juxta quas, resecatis aliquorum de Communitate abusib; (NB. Privilegia dispensativa nulla adhuc in Ordine existabant, uti bene notat Gubernatis Tom. 2. fol. 66.) ad Regulæ puritatem viverent universi. Extensa pariter ibidem nonnihil fuit, salvâ tamen Regulæ puritate, potestas Syndici, ultra declarationes Nicolai III. & Clementis V. hincque *Syndicus Martinianus* dictus.

In Praefatas Constitutiones consenserunt omnes existentes in Capitulo Superiores de Ordinis *Communitate*, cum ingenti consolatione Legati Apostolici, consensu simul juramento firmatō, atque exinde etiam *Observantes* sponte dimiserunt Vicarios tam Generales, quam Provinciales, ad introducendam in Ordine perfectiorem unionem. Nedum tamen soluta fuerunt Comitia, ac multos de Ordinis *Communitate* cœpit Juramenti pœnitere, qui, aliis ex *Communitate* in suas partes attractis, rogârunt Cardinalem, ut se à præstito præcedenti Juramento vellet absolutos; Annuit ille, ne animas nimiùm illaquearet. Insuper Generalis pro majori Conscientiæ serenitate non paucorum de *Communitate*, ut quoad animam starent securiores, majora Privilegia, anteā in Ordine nunquam approbata (da quibus Gubernatis Tom. 2. fol. 494. & seqq.) à Summo Pontifice obtinuit: præsertim verò ac principaliter illud, ut Syndicus Apostolicus pro necessitate & utilitate Fratrum non solum mobilia, & Eleemosynam pecuniariam, verùm etiam immobilia & redditus annuos, nomine Summi Pontificis, recipere valeat, hac tamen cum Claustra, ut Fratres nullatenus similium sint Domini etiam in communi, nec ullum habeant jus. Patres verò *Observantes* cupientes vivere in primo rigore, nec novum hoc relaxativum Privilegium, primis sæculis Ordinis non practicatum, admittere volentes, resolverunt deinde assumere suos Vicarios Generales & Provinciales, eò quod & illi,

de *Communitate*, de suo primo Promisso jurato recesserint. Reclamabant Patres de *Communitate*, nolentes id amplius *Observantibus* concedere. Interim sub hac Controversia moritur *Martinus V.* qui rexit Ecclesiam usque ad annum

1436.

VI. Eugenius IV. Venetus, antea Gabriel Condomerius cui aliquot ante menses hanc dignitatem prædixerat *S. Joannes Capistranus*, quem Pontifex tantopere dilexit, ut super ejusdem & sociorum ejus humeros sese requiescere familiariter dicere soleret. Vide *Gubern.* T. 2. fol. 100. Tertio ab electione die cùm idem *Capistranus* Neoelecto congratulatus accessisset promisit Pontifex. veterem amicitiam majori fore lucro fovendam. Id solum se cupere dixit *Capistranus*, ut *Regularem Observantium* in pristinum restitueret statum, quem ante Comitia Generalia, Assisi anno 1430. celebrata, habebat, nimirum ut sub suæ vita Vicariis regeretur, cùm jam probaverit, unionem à *Martino V.* intentam Religioni reformandæ potius obsuisse quàm profuisse. Hæc & majora beneficia pollicitus *Eugenius* adimplevit, quidquid augendæ Congregationi *Observantium* expediebat, abundè largitus. *Gubernat.* o. T. 2. f. 58. 59. Hujus Pontificis voluntatem prosecutus *Guilielmus de Casfili* totius Ordinis Generalis anno 1438. *S. Bernardinem Senensem* novum Vicarium General. *Observantium* instituit, quem *Eugenius* non solum Diplomate Poncificio confirmavit, sed & hanc gratiam per Bullam: *Ut sacra Ordinis anno 1445. ampliavit.* Vide *Gubern.* loc. cit. fol. 73.

Hinc etiam Regularis *Observantia* sub hoc Pontifice tanta sumpsit augmenta, ut ob Fratrum multitudinem in duas distinctas Familias (*Cismontanam* nempe, & *Ultramontanam*) fuerit pro facilitori direktione divisa. In Cismontana post *S. Bernardinum Senensem*, *S. Joannes Capistranus*, in Ultramontana vero *Joannes Mauberti* Vicarius Generalis institutus est, traditâ illis, & eorum Successoribus, facultate, suos Vicarios Provinciales ad singulare quodpiam Capitulum, absque intervenitu illorum de *Communitate*, convocandi, & in eodem novos Vicarios Generales, à Generali tamen totius Ordinis confirmandos, quolibet triennio eligendi, nec non leges pro suis, ad priorem *S. Regulæ Observantium* condendi.

Econtra verò illi de *Communitate*, qui insisterent benignæ extensiōni potestatis Syndici usque ad bona immobilia ac annuos redditus &c.

part.

pariter acquisierunt tandem à dicto Eugenio Pontifice (licet id ab initio renuerit) confirmationem hujus Privilegii , fueruntque ab eodem jam antea in Bulla : *Super gregem anno 1431. edita , teste Wad. Tom. 5. in Reg. fol. 190. n. 11.* ad distinctionem *Observantium* vocati *Conventuales*, de quo nomine, alias æquivoco, multa notabilia reperientur infra sub Quæsito IV. pro elucidatione Historiæ Seraphicæ. Atque sub hac diversa ex parte *Observantium*, & aliorum de *Communitate*, seu *Conventualium* vivendi methodo Seraphica Religio (semper tamen sub uno eodemque supremo Capite , nimirum Generali Ministro totius Ordinis) permanxit usque ad annum 1517. quo tandem, iuxta dicenda, à Leone X. Pontifice maximo, divisio facta, ac Regulari *Observantie* Generalatus totius Ordinis cum Sigillo ac præminentia attributus fuit. Rexit Eugenius Ecclesiam usque ad annum

1447.

VII. *Nicolaus V.* antea Thomas de Sarzana, Lucensis Italus , cui plurimum debet Institutum Ordinis nostri, præsertim Regularis *Observantia*. Convocavit Romæ Capitulum Generalissimum, in quo quatuor millia Fratrum circiter convenerunt. Præsidente Summo Pontifice , & in subsidium competentis sustentationis bis mille aureos subministrante, sub quo etiam cum ingenti totius Religionis jubilo *B. Bernardinum Senensem* Sanctorum Catalogo adscripsit. *Ioanni Capistrano* gravissima totius Ecclesiæ negotia præsertim contra Hussitas , aliisque Ecclesiæ hostes (uti legenti vitam hujus Sancti latius patebit) commisit, ac *Coletanorum Congregationi*, sub ipsis Ministris Generali & Provincialibus fervide sacram Regulam Seraphicam zelanti, plura ad hoc sanctum intentum concedit. Rexit Ecclesiam usque ad annum

1455.

VIII. *Callistus III.* Hispanus, antea Alphonsus Borgia , singularis amator ac fautor *S. Jacobi de Marchia* ex Regulari *Observantia* , quem toti Minorum Sodalitio, tam *Observantium* , quam aliorum de *Communitate*, ob suam æquitatem ac indifferentiam gratissimum , constituit Commissarium Apostolicum hunc in finem ut omnia membra totius Seraphici Corporis in unum coadunaret. Quod ipsum Summus Pontifex unicè in votis habuerat , Executioni tamen mandare hand poterat per Bullam *Cordice dictam* anno 1455. editam, & apud *Gubernatis Tom. II. fol. 81.* reperiendam quamvis in *ezdem* , etiam approbante *S. Jacobo de Marchia* , favores *Observantibus* , vi Bullæ Eugenianæ concessos , ali-

quo modo fuerit moderatus. Operā S. Capistrani æquè usus est contra Turcas, ac Prædecessor suus Nicolaus V. contra Hussitas, cum summa Ecclesiæ utilitate. In Capitulo Generali Mediolanensi omnibus Ecclesiæ Fratrum Minorum S. Francisci visitantibus concessit Indulgencias Portiunculæ, ex quo tantus erat concursus adventantium, ut teste Chronicâ Bossianâ apud Gubernatis Tom. I. fol. 374. Urbs sanè amplissima vix multitudinem caperet Exterorum, Pro altero Capitulo Generali Romano ipse met Pontifex per octiduum sumptus abunde ministravit, Rexit Ecclesiæ usque ad mensem Augusti anni 1458.

IX. Pius II. antea Æneas Sylvius Piccolomini, Senensis Italus, pluribus olim cum S. Joanne Capistrano, præsertim in Germania, & Hungaria contra Turcas, Legationibus Apostolicis functus, & singulari amore erga Regularem Observantiam affectus: quod ejus literæ à Guber. Tom. 2. fol. 98. & fol. 100. relatæ, luculentur ostendunt. Creatus Pontifex Bullam Eugenianam, à suo Prædecessore Callisto III, aliqualiter restrictam, in favorem dictæ Regularis Observantiae de novo confirmavit. Præcepit insuper ne quisquam ab Observantibus ad eos de Communitate (Conventuales jam vocatos) abiret, qui transeundi non obtineret facultatem; qui verò ab his ad Observantes vellet transmigrare, licentiam tantum peteret, et si non impetraret. Discriminis rationem subjunxit, quod illi de Communitate ad Observantes discedentes, ad arctiorem vitam transferrent; in quo casu juxta Canones equidem debet peti, sed non necessariò obtineri licentia transeundi; Gubern. Tom. 2. fol. 87.

Tanti erat Pius II. Zeli Pastoralis, ut ad compescendam terribilem potentiam Luporum infidelium, nempe Turcarum, statuerit ipse met collectis copiis, contra hostem in Asiam transfretare, quo in negotio operâ usus fuerat S. Jacobi Piceni, seu de Marchia, Angeli à Bolzena, Bartholomai à Colle, & Baptiste à Saxo Ferato, qui omnes erant Regularis Observantia. In actuali Expeditione Anconæ febri occumbens ad æternam felicitatem transit, cuius animam Eremita Camaldulensis in Cœlum efferti vidit. Rexit Ecclesiæ usq; ad an. 1464.

X. Paulus II, Venetus Italus, antea Petrus Barbo, gratias à suis Prædecessoribus Ordini indultas, per Bullam inter ceteros an. 1465. Pro majori in Electionibus libertate sustulit illam in Ordine nostro ante Concilium Tridentinum consuetudinem, quâ non solum Numerus Votorum, verum

verum etiam Nomina eligentium publicata fuerunt. Insuper ad conservandam pacem inter Fratres Conventuales, & de Observantia, inhibuit, ne absque speciali Sedis Apostolicæ licentia, loca & Conventus ad Communiteatem, vel ad Moniales huic subiectas spectantes, recipiantur ab Observantibus. Alphonsum de Bolanis, suum Nuntium Apostolicum in Aethiopiam. & Franciscum de Rauere, de quo proximè, Gardinalem creavit. Rexit Ecclesiam usque ad an. 1471.

XI. *Sixtus IV.* antea Franciscus Rauere dictus, totius Ordinis Minorum Generalis, cui *Paulus II.* Antecessor, quando eum sacrâ Purpurâ ornavit, videtur supremam hanc dignitatem Pontificiam Spiritu Prophe-tico prædixisse; eo enim die, quo Galerum dederat, adstantibus aje-bat: *Hodie nobis designavimus Successorem.* Id ipsum ex Vaticinio præ-fagiisse censetur *S. Jacobus de Marchia*, ab eodem summoperè æstima-tus, prout amplius dicetur agendo de Generalatu ipsius. Plurimas Or-dini contulit gratias. *Bonaventuram Cardinalem 1482.* Sanctorum Fa-sis solennissimè adscriptis, multosque ex Ordine ad Insulas Pontificales evexit. Pileo autem Cardinalitio decoravit sequentes, scientia & pie-tate celeberrimos Fratres Minores: *Petrum Riarium*, *Gabrielem Vero-nensem*, seu *Mutinensem*, alias *Rangonum* dictum: *Eliam de Bourdeille*, & *Petrum de Foix*, seu *de Fuxo juniorem*, illius *Petri de Foix senioris* con-sanguineum, qui etiam ex Ordine Seraphico à *Benedicto XIII.* Antipap-pa quidem ad Cardinalatum electus, à *Martino V.* verd & *Eugenio IV.* post-modum confirmatus, & Episcopatu Albanensi donatus, in Concilio Con-stantiensi pro extinguendo Schismate, & restituenda pace Ecclesiæ, sua Authoritate plurimum effecit. *Wad. Tom. 5. fol. 65. n. 17. Petr. Ant. de Venet. Tom. 1. fol. 431.*

B. *Amadeum Lusitanum*, servidum S. Regulæ Zelatorem, ac Congregationis *Amadeitarum* Fundatorem, sibi à sacris Confessionibus con-stituit, & ejus sociis, præter amplissimos favores, ad puritatem Re-gulæ tendentes, assignavit Romæ Conventum S. Petri de Monte aureo. *Clarenos* pariter strictè absque ullo relaxativo, vel dispensativo Regulæ Privilegio vivere cupientes, unitati Ordinis, sub Obedientia Ministri Generalis, qui antea sub Jurisdictione Episcoporum vixerant incorpo-ravit. *Observantes* ad instantiam Sereniss. utriusque *Bavarie Ducum*, *Ludovici*, & *Alberti Sapientis* in suas ditiones locò illorum de *Communitate*, intro-

introduxit; ac demum allaboravit plurimum, ut totus Ordo perfectè unniatur. Verum ad finem intentum pervenire non potuit, tum quia Bullam *Eugenianam*, *Observantibus*, puritatem Regulæ zelantibus, favorablem, & eorum Vicarios, Generales, & Provinciales, tollere intendebat: tum quia Potestatem Syndicorum Apostolicorum non solum ad bona mobilia, sed etiam ad immobilia, imò ad capessendas Hæreditates nomine Ecclesie, sive ex testamento, sive ab intestato extende-re cupiebat. Quapropter diversi Reges & Principes per plurimas literas vehementer instabant, ut Religiosum omnib[us]que gratum *Observantie* statum inconcussum perdurare concederet; quibus & acquieavit. B. *Angelum de Clavasio* de novo ab *Observantibus* electum Vicarium Generalem benigne recepit, & conformiter Bullæ *Eugeniana* ad Generalem pro confirmatione remisit. Rexit Ecclesiam usque ad annum 1484.

XII. *Innocentius VIII.* Genuensis Italus, antea Joan. Bapt. Cybo, vel Gibo, qui multas gratias Religioni nostræ largitus fuit apud *Wad.* Tom. 7. passim videndas. Operâ B. *Bernardini de Feltro* utebatur sibi, ad sedandos suis ferventissimis Concionibus gravissimos tumultus Italiz. B. *Angelum de Clavasio*, Vicarium Generalem *Observantium*, constituebat Nuntium & Commissarium Apostolicum contra Waldenses Hæreticos, atque B. *Joannem à Sotto Majore*, Regio sangvine clarum, & pri-mævum Regularis *Observantie* rigorem in Hispanias introducere conan-tem, potentissimè per Pontificia Diplomata adjuvabat. Rexit Eccle-siam usque ad annum 1492.

XIII. *Aleander VI.* Hispanus, antea Rodericus Borgia dictus, strenue laborans ad Ecclesie disciplinam stabilendam aut restituendam, uti inquit *Desing in Compendio Eruditionis part. II. cap. 6. §. 1. num. 215.* quidquid non pauci contradicant, multa cum *Sannazaro* enormia ejdem affingentes. Congregationi *Amadei Lusitani*, rigorosè Regulam ad li-teram servanti, concessit omnes gratias *Observantium*. Fratribus Mi-noribus de *Observantia Regulari* non solum suos proprios Vicarios tam Generales, quam Provinciales confirmavit, sed etiam ad omnes Archi-Épiscopos, & Episcopos, ultra Montes existentes, Bullam *Regularem vitam* expeditiv, quæ reperitur in *Suppl. Wad. fol. 498.* In qua Bullâ districte mandat, ut dicti Vicarii agnoscantur tanquam veri Superiores: *Oblocutores* vero, *Excommunicationis*, aliisq; debitibus pénis coërciantur.

E contra Fratribus Minoribus de *Communitate*, vulgo jam *Conventualibus*, Interamni, seu Terni congregatis, certas pro Reformatione præscripsit Constitutiones, apud *Gubernatis Tom. III. fol. 138.* videndas. Rexit Ecclesiam usque ad annum 1503.

QUÆRITUR II.

Quinam extiterint Generales Ordinis in tertio Sæculo? Respondeo sequentes.

I. *Antonius Angelus de Pireto*, Græcus, juxta alios Authores autem Italus, Vir omnium consensu doctissimus, hinc à *Joanne XXIII.* Pontifice, in arduis Ecclesiæ negotiis, præsertim in Anglia applicatus, & à Patribus Concilii Basileensis, annuente Papa, deputatus unâcum quatuor Cardinalibus & Generali Dominicanorum ad examinandam causam *Joannis Hus* recidivi. Novellam Congregationem *Regularis Observantie*, Antecessoris sui insistens vestigiis, singulari prosecutus est affectu, & *Joannem à Stronconio* Commissarium & Vicarium Generalem dictæ Familiae confirmavit. Gubernavit Ordinem usq; ad annum 1420.

II. *Angelus Salveret* Hetruscus, nobilis Italus, Eloquentiâ clarissimus, in divinis æquè ac humanis literis eximiè versatus, cuius inchoatam magno Zelo aliquorum abusuum & laxitatum, præsertim in puncto Paupertatis, Reformationem mors præpropera interrupit. Præfuit Religioni usque ad annum 1423.

III. *Antonius de Nassa* Italus, Summo Pontifici Martino V. charissimus, ejusque Prædicator Apostolicus, & ob suam eminentem doctrinam ac singularem dicendi facundiam ad ardua Ecclesiæ negotia sæpius ab eodem destinatus; quin imò, cùm Pontifex de unione Ecclesiæ Græcæ cum Latina cogitaret, Legatus Apostolicus ad Imperatorem Orientalem missus. In Regimine Ordinis tamen erat ultra modum benignus, & Laxis connivens. Hinc à Martino V. in Capitulo Generali à Ministeriatu fuit absolutus, & ad Episcopatum suæ Patriæ translatus. Rexit Ordinem usque ad annum 1430.

III. *Guilielmus de Casali*; Italus, Eugenio IV. Pontifici, gravissimas perse-

persecutiones sustinenti, semper fidelissimus, quem, præter alias maximis momenti Legationes, ad Regem Gallie, aliisque Principes, cum 12. præcipuis totius Ordinis SS. Theologæ Magistris dictus Pontifex ad Concilium Generale Ferrarensis evocavit, ut præparatoria cum suis disponeret, circa ea, quæ in eodem Concilio, cum Græcorum Imperatore, & Patriarcha Constantinopolitano, &c. &c. tractanda erant, ratione Primatus Ecclesiæ Romanæ, & Processionis Spiritus Sancti à Filio. Annis duodecim & ultra, Ordinem cum laude rexit, Regulari Observantie semper propitius, & ab ipsa vicissim impensè dilectus; qui etiam secum admisit socium S. Joannem Capistranum in visitandis, & ad pristinum nitorem sacratissimæ paupertatis reducendis non paucis de Communitate Provinciis. Illud nihilominus carpitur in ipso ab aliquibus Zealatoribus, quod à primo illo fervore in fine remisisse visus fuerit, procurando à Summo Pontifice certa Privilegia, præsentim nimis extensiva potestatis circa Syndicos Apostolicos, etiam quoad bona immobilia, ac annuos redditus: ubi tamen alii in ejus defensionem reponunt, id factum esse, necessitate sic impellente, ad serenandas multorum Conscientias; cum aliter occurrentes difficultates tollere vix potuerit. In fine Generalatus & simul vitæ suæ inter lacrymas Fratrum tam de Communitate, quam de Observantia, jacens in terra super stramen veniam errorum suorum humillimè deprecatus piissimè obiit, Ordinem gubernans usque ad annum 1442.

V. Antonius de Rusconibus, Italus, Sangvine & Thaologicâ Laurea insignis, concurrens cum B. Alberto à Sartiano, zelofo Observante, Vicario Generali totius Ordinis ad interim (mortuò Gwilhelmō, Ministro Generali) per Pontificem designatō, quem tamen Albertum Capitulares de Communitate acceptare renuerunt, eligentes potius hunc Antonium de Rusconibus; ubi, ad conservandam cum illis pacem, Observantes omnes à votando abstinuerunt, operante ad id S. Bernardino. Cæterum dictus Generalis Antonius de Rusconibus, jussu Pontificis, Observantium Familiam satis amplam, ipsimet, cum aliquali tamen subordinatione ad Generalem, regendam commisit, constitutis in Cismontana & Ultramontana Familia propriis Vicariis Generalibus ex suo Gremio per Vicarios Provinciales, conformiter Bullæ Eugenianæ, deinceps in particularibus Congregationibus, eligendis. Gubernavit Ordinem usq; ad an. 1449.

VI. *Angelus Serpetrus*, Perusinus Italus, antea Ordinis Procurator Generalis, & in Goncilio Florentino inter primarios Theologos electus. Laboravit equidem, ut exemptio Observantiam à Gubernio Partium de Communitate iterum tolleretur, ast sine effectu. Rexit Religionem usque ad annum 1453.

VII. *Jacobus de Moranica*, Italus, Vit rebus magnis aggredientis & perficiendis apprimè aptus, ideoque Cruciatæ promovendæ, ac Decimorum collectioni à Pontifice præfectus. Toto sui Regiminis tempore eò desudavit, ut in unum perfectum Corpus universos Fratres Minoris, tam de Communitate, quam de Observantia coadunaret. quia tamen priores illi, qui Conventuales à tempore Eugenij IV. appellabantur, sua Privilegia relaxativa noluerunt dimittere, posteriores vero à sua vivendi methodo, Literæ sacrae Regule, ac menti Seraphici Patris magis conformi. renuerunt recedere, ad suum intentum pervenire non potuit. Rexit Ordinem usque ad annum 1457.

VIII. *Jacobus de Sarzuela*, Catalanus Hispanus, ac Patriota *Callixti III.* cui erat gratissimus, & ab eodem per Bullam *Religionis Zelus &c.* ob Religionis Zelum, Literarum scientiam, vitæ integritatem, aliaque eximia Virtutum dona plurimum deprædicatus, à quo tamen Pontifice, haud obstante singulari isto affectu, obtinere non potuit, ut Bullam suam *Concordie* dictam, vi cuius Observantibus, ex suis, Vicarij Generales & Provinciales cum certis limitationibus eligendi concedebantur, iterum irritam redere. Tentavit equidem id ipsum apud Successorem *Pium II.* imò plus ab eodem petiit, nimirum revocationem Bullæ *Eugeniana*, Observantibus circa suos proprios Vicarios Generales ac provinciales adhuc *Callixtinâ* favorabiliorem, verum in utroque tulit negativam, ob rationes apud supra dictum Generalem allegatas. Rexit Ordinem usque ad annum 1464.

IX. *Franciscus de Runere*, sive *de Savona* Italus, postea Summus Pontifex subtítulo *Sixti IV.* quem abhuc in utero materno existentem vidi prægnans Mater à SS. Francisco & Antonio Habitū & Cingulo Fratrum Minorum præcingi. Erat à Scientiarum plenitudine notissimus, præsertim occasione per celebris illius Disputationis, coram Summo Pontifice *Pio II.* habitæ, de *Sanguine Christi*, in *Passione sua* sparsi, an is nimirum in Triduo mortis Christi fuerit Verbo Divino hypostaticè unitus

unitus, & ideo adorandus, nec ne? in qua Disputatione S. Jacobi de Marchia sententiam cum omnium admiratio? gloriose propugnavit, ac præclarum librum desuper scripsit. Huic idem S. Jacobus de Marchia Cardinalatum, & Potificatum Spiritu haud dubiè propheticò prædixit, & consulentibus Capitularibus illum ipsum pro Generali proposuit. Is, cum ingenti omnium, etiam Observantium, gaudio ele? tuus, S. Jacobum de Marchia è medio cætu aggratulantum Fratrum ad se vocavit. & ad latus suum dexterum constituit, honorem istum ejusdem deferens virtuti, & apud omnes estimationi. Pro restituenda Ordinis dignitate, ac reformatiis Dissolutorum moribus, quantum potuit, verbô & exemplô adlaboravit. Reliqua laudabilia de ipso videantur apud Pontifices. Rexit Ordinem usque ad annum 1469.

X. Joannes Zanettus, Uticensis Italus. Hiç Generalis obtinuit à Sixto IV. Poptifice Bullam: *Dumfructus uberes &c.* editam anno 1471. & apud Gubernatis Tom. II. fol. 501. videndam, Conventualibus valde favorablem. Nihilominus Observantes sub ejus regimine in suis zelosis Constitutionibus minimè impediebantur; quin imò expresse sub eodem Decretum emanavit, vi cuius Observantes rigidam suam vitam derelinquentes, & ad benigniorem aliorum de Communitate, sub quovis prætextu convolantes, denuò jubebantur remitti. Promotus fuit ad Archi-Episcopatum Thebanum, & Episcopatum Travisinum, postquam gubernavit Religionem usque ad annum 1475.

XI. Franciscus Samson, Italus, jam ut puer à matre Deo oblatus sub Tutela S. P. Francisci. Erat magnæ eruditio? qui ut Generalis, in solenni Disputatione de B. V. MARIAE Immaculata Conceptione Romæ anno 1477. ob gravissimas causas, interat? indictâ, & per aliquot dies præsente Summo Pontifice perdurante, hoc sacratissimum Mysterium, tanta subtilitate defendit, & objectas adversariorum difficultates æquè feliciter dissolvit, ac Samson ille veteris Testamenti vincula disruptit, ob quam ipsam rationem Summus Pontifex admiratus Ingenium Viri, eundem Samsonem appellavit, qui antea Franciscus Nanus dicebatur.

Morum gravitate, & integritate, prudenti, suaviq[ue] regimine non solum Confratrum animos, verùm & Principum gratiam sibi conciliavit, inquit sancte à Bzoyio atro calamo notatur. Observantiam Fami-

Familiam suis Legibus permisit, ac nullo tempore voluit turbari. Guberoavit Ordinem usque ad annum 1500.

QUÆRITUR III.

Quænam Generalia Capitula fuerint celebrata in tertio Sæculo Ordinis? Respond. sequentia.

I.	M	Onachii in Bavaria, electo Ministro Generali Antonio An-	
		gelo à Pireto anno	2405.
II.	A	quillæ in Italia sub eodem Generali: anno	1408.
III.	R	omæ sub eodem Generali: anno	1411.
IV.	L	usannæ in Sabaudia sub eodem Generali anno	1414.
V.	M	aetutæ in Italia sub eodem Generali, ac præse te Summo Pontifice Martino V. anno	1418.
VI.	A	d Forum Julii in Aemilia, electo Ministro Generali Ange- lo Salvetto anno	1421.
VII.	F	errariæ in Italia, electo Ministrô Generali Antonio de Mas- a anno	1424.
VIII.	C	asali in Italia sub eodem Generali anno	1427.
IX.	A	ffissi in Umbria, electo Ministro Generali Guilielmo de Ca- ffali, in quo celeberrimo Capitulo Generali Declarationes super 12. Ca- pita sacræ Regulæ à S. Joanne Capistrano compositæ, & à Martino V. confirmatae, per ipsum S. Joannem Capistranum fuerunt publicatae & ab omnibus Capitularibus acceptatae, et si postea multos de Communitate hujus acceptationis pœnituerit, ac Juramenti de super præstiti relaxa- tio ab illis obtenta fuerit, juxta jam dicta antecedentia. Vocantur communiter Constitutiones hæc Martiniana, & reperiuntur apud Gu- bernatis Tom. III. fol. 83. dignæ lectu. Celebratum fuit illud Capitu- lum anno	
X.	B	ononiae in Italia sub eodem Generali anno	1430.
XI.	T	olosæ in Guipuscoa sub eodem Generali anno	1433.
XII.	G	enuæ in Italia sub eodem Generali anno	1437.
XIII.	P	atavii in Italia, in quo Capitulo, et si Pontifex pro Gene- rali	1440.

rali potius optässet *Albertum de Sartiano*, doctissimum, & sacræ Regulæ zelosum Observantem, ac Vicarium Generalem totius Ordinis post mortem Generalis *Guilielmi de Casali*, ab ipsomet *Eugenio Papa* ex hoc fine constitutum; hoc tamen non obstante elegerunt Capitulares aliquem ex Communitate, nimirum *Antonium de Rusconibus*, cui, quatenus Regula iis Observantia ab omni laxitate magis immunis conservaretur, imperavit Pontifex, ut eandem ob suam amplitudinem jam in duas Familias, *Cismontanam* nempe & *Ultramontanam* bipattiam, ipsimet Observantie gubernandam traderet. Prout etiam deinceps Observantes instituerunt sua Comitia particularia, absque interventu Conventualium, uti plura similia, saltem *Familia Cismontana* (ab Ultramontanis brevitatis studio abstractantes) per decursum adducemus. Item *S. Capistranus* deputatus Vicarius Familia novas constitutiones pro suis Observantibus conscripsit, videndas apud *Gubernatis Tom. III. fol. 95.* Ceterum Capitulum hoc celebratum fuit anno 1443.

XIV. Apud Montem Pessulanum in Gallia sub Generali priori *Antonio de Rusconibus* anno 1446.

Eodem anno adhuc Observantes Romæ in Conventu Aracelitano pariter suam Congregationem Capitularem instituerunt, præsente Summo Pontifice, & assumptō in Vicarium Generalem, *Jacobō de Primis dictiis.*

XV. Florentiæ in Italia sub eodem Generali, ubi Observantes eisdem præsentes soli publicæ Processioni interfuerunt, à ceteris omnibus aëtibus juxta Bullam Eugenianam abstinentes anno 1449.

Paucis diebus ante hoc Generale Capitulum prope Florentiam etiam Observantes Familia Cismontanae partiale suum Generale Capitulum celebrarunt præsente cum Filiis suis Magno illo Herœ *Cosma Mediceo*, ac primaria nobilitate Florentinâ test: *Wad. Tom. 9. fol. 559. Gubern. Tom. 3. fol. 110.* ubi iteratō in Vicarium Generalem assumptus est *S. Joannes Capistranus.*

XVI. Romæ, electō in defuncti Antonii de Rusconibus locum Ministeri Generali *Angelo de Serpetro* anno 1450.

Sub hoc triennio Observantes instituerunt Aquileiæ in Festinis suum particulare Capitulum Generale electō in Vicarium Generalem, *Marcò Bononiensi.*

XVII. Perusii in Italia sub eodem Generali Angelo Serpetto anno 1453.

XVIII. Bononiae in Italia, electo in demortui Angeli Serpetri vicem, Generali Jacobo de Mozanica anno 1454.

XIX. Mediolani in Italia sub priori Generali, uti pariter in eadem Civitate, ast in Conventu S. Angeli Observantium, electus fuit in Vicarium ipsorum Generalem Antonius de Monte Flascone anno 1457.

XX. Romæ in Italia, ubi mortuò, statim post præcedens Capitulum, Generali, in Successorem electus fuit Jacobus de Sarzuela.

Observantes defuncto pariter suo Vicario Generali, in particularibus Comitiis elegerunt ibidem Jean. Baptis tam de Lavento anno 1458.

XXI. Divinioræ in Burgundia sub præcedenti Generali anno 1461.

Eodem anno *Observantes* habuerunt suam Congregationem Generalem Auximi in Piceno, electo in Generalem Vicarium Ludovico Vicentino.

XXII. Perusii in Italia, electo in Generalem Ministrum Franciscum de Ruvere, posteà Summo Pontifice anno 1464.

Hoc ipso anno Assisi in Umbria *Observantes*, in sua Generali Congregatione in Vicarium Generalem denuo assumperunt Marcum de Bononia.

XXIII. Florentiae in Thuscia sub eodem Generali anno 1467.

Eodem anno *Observantes* suam Synodum Generalem instituerunt Mantuae in Italia, electo iterum in Vicarium Generalem Joan. Baptista de Levanto.

XXIV. Venetiis in Italia, ubi assumpto in Cardinalatum Generali Franciscum de Ruvere, in Successorem deputatus erat Joannes Zanetus anno 1469.

Eodem anno *Observantes* convenerunt in Insula Bisentina, ubi Marcus de Bononia tertio electus est in Vicarium Generalem.

XXV. Ferrariae in Italia sub Generali præcedente anno 1472.

Hoc ipso anno Aquilæ in Festinis *Observantes* ferme bis mille convenerunt, & elegerunt in Vicarium Generalem B. Angelum de Clavasio.

XXVI. Urbini in Italia, electo in Generalem Francisco Natio Samsonem anno 1475.

Eodem

Eodem anno *Observantes* celebrarunt sua Comitia Neapoli in Italia, electo unanimiter in Vicarium Generalem *Petro de Neapoli*.

XXVII. Romæ presente Summo Pontifice *Sixto IV.* confirmatō Ministrō Generali *Francisco Samsone* anno 1479.

Patiæ Observantes suam Congregationem Generalem particularem Papiæ in Italia instituerunt anno 1478. electo iterum in Vicarium Generalem *B. Angelo à Clavasio*.

XXVIII. Brixia sub eodem Generali anno 1482.

Observantes in Monte Alvernia anno 1484. celebrandæ Synodo convenerunt, electo tertia jam vice Vicario Generali *B. Angelo à Clavasio*.

XXIX. Montis Ferrati in Italia sub eodem Generali *Samsone* anno 1485.

Observantes ad particularem Synodum Generalem convenerunt anno 1487. in conventu Portiunculæ prope Assissum, electo Vicariō Generali *Joanne de Sigistro*.

XXX. Cremonæ in Ducatu Mediolanensi sub eodem Generali anno 1488.

Observantes instituerunt suum Capitulum Urbini 1489. electo jam quarta vice *B. Angelo Clavasio*.

XXXI. Assisi in Umbria existente adhuc Generali *Francisco Samsone* anno 1491.

Observantes ad annum 1493. celebrarunt suam Synodum Generalem Florentiæ electo in Vicarium Generalem *Evangelistâ de Perusio*.

XXXII. Bononiæ in Italia sub eodē Generali Ministro anno 1495.

Hoc ipso anno *Observantes* Aquilæ in Festinis ad suum Capitulum congregati, sibi in Vicarium Generalem assumperunt, *Hieronymum Torniellum*.

XXXIII. Mediolani in Italia sub eodem Generali anno 1498.

Ibidem eodem tempore celebratō *Observantium* Generali *Confessu*, assumptus est in Vicarium Generalem *Ludovicus de Turre*.

XXXIV. Terni, seu Interamnæ in Italia, electo in Ministrum Generalem *Ægidio Delphino de Amelia*, de quo sæculo sequenti. In hoc Capitulo pro ipsis *Conventualibus* suô modō reformatis, & quibusdam abusibus tollendis editæ sunt Constitutiones *Alexandrina*, id est autho-

authoritate Alexandri VI. Pontificis vulgaræ, apud Gubernatis Tom. III. fol. 138. quæ tamen innituntur favoribus ab antecessoribus Pontificibus, Martino V. Eugenio IV. Sixto IV. &c. Conventualibus concessis, hincque ab Observantibus, in rigida sua vivendi methodo continuantibus, non fuerunt receptæ, Celebratum fuit hoc Generale Capitulum anno

1500.

QUÆRITUR IV.

An Seraphica Religio, etiam isto Sæculo tertio Ordinis (id est ab anno 1400. usque ad annum 1500) manserit sub uno Capite, ac sub eodem servaverit Regulam literaliter absq; dispensatione Apostolica?

Antequam respondeam, necessariò præmittendam duxi succinctam aliquam descriptionem, qualēm faciem habuerit Ordo Seraphicus sæculo isto. Quare

Notandum imò, Religionem Minorum sæculo isto principaliter constitutam huisse ex Observantibus, habentibus juxta dicenda suos proprios Vicarios Generales ac Provinciales, & ex Claustralibus, seu Fratribus Minoribus de Communitate, qui immediate subfuerunt Generali & Provincialibus suis absque interventu Vicariorum Generalium seu Provincialium. Observantes Regulam strictè & ad literam servantes, originem traxerunt ex B. Paulicio de Trinitate, jam in vita hujus zelatoris aliquot Cœnobiola habentes, interea tamen teste Bullâ Unionis Leonis X. primis temporib; usque ad tempus S. Bernardini respectu aliorum numerò pauci, postea verò sub hoc ipso sæculo in immensum excrescentes, ita, ut à Summis Pontificib; propriis Vicarios Generales æquè, ac Vicarios Provinciales obtinuerint. ac singulariter sua Comitia celebrârint sine interventu Patrum de Communitate; uti pariter vice versi, absque præsentia Observantium id ipsum sæpius practicârunt illi de Communitate, qui cæteroquin absque ullis similibus Vicariis Generalibus immediatè ipsimè Ministro Generali erant subjecti. De quibus

Notan-

Notandum 2dò. Quod ex hac ipsa Communitate non pauci in particulari Privilegia relaxativa neutquam receperint; quin immo ex eadem Communitate integræ Congregationes Regulam Seraphicam literaliter, & ad mentem Seraphici Patris servare conatæ fuerint. Tales extiterunt Clareni ab Angelo Clareno, Coletani à B. Coleta, cooperante suo Confessario Fr. Henrico de Palma, & Amadeita ab Amado Lusitano originem trahentes, item Fratres de S. Evangelio & alii &c. Quæ speciales Congregationes posteà tempore Leonis X fuerunt ab illis de Communitate separatae, & cum Observantibus in unum Corpus coadunatae juxta dicenda sæculo sequenti. E contra verò major respectivè pars ipsius Communitatis hoc sæculo utebatur Privilegiis Apostolicis, saltē valde relaxativis, si non omnino dispensativis Regulæ, de annuis redditibus, bonis immobilibus, successionibus ex Testamento, & ab intestato. De quibus

Notandum 3tiò. Quod utentes his Privilegiis Protestati fuerint illis temporibus, se Regulam Fratrum Minorum, his non obstantibus, substantialiter servare absque ulla vera dispensatione: partim, cum nihil proprium adhuc ante Bullam Unionis Leonis X. possiderent neque in Particulari, neque in communi, sed omnia tam mobilia quam immobilia cum annuis redditibus ad Romanam Ecclesiam spectarent, ita, ut tantummodo per similia Privilegia Apostolica magis quam antecedenter fuerit ampliata à Pontificibus potestas Syndici Apostolici: partim, quoniam hereditates sive ex Testamento, sive ab intestato non Fratrum, sed nomine Romanæ Ecclesiae à Syndico caperentur, ordinantibus sic expressè Pontificibus, præsertim Sixto IV. & Alexandro VI. partim, quia in Constitutionibus Alexandrinis Cap. VI. de expropriatione apud Gubernatis Tom. II. lib. 9. cap. 3. num. 29. fol. 504. Papa Alexander VI. expressè testatur, quod non ideo in summa Fratrum Minorum paupertate in communi & in particulari fuerit dispensatum, quamvis ad quietandos magis Conscientiarum stimulos habent laxaræ esse videantur.

His tamen rationibus Zelantes, sive Observantes, sive Clareni &c. permoveri haud potuerunt, ut similia Privilegia Apostolica reciperent: nam quia primis temporibus, quibus vel maximè fervescebat Spiritus Seraphici Patris, non fuerunt similia ab aliquo Generali Capitulo admissa, quia

quin imo, longe minora, cooperante Seraphico Doctore Bonaventura, tunc temporis Generali, non acceptata: tum quia tempore Nicolai III. qui Constitutionem suam *Exit qui seminat*, summa deliberatione (accits etiam Seraphici Patis Francisci sociis adhuc viventibus, ejusque mentem haud dubie magis noscentiibus) condidit, ne quidem erat cogitatum de tam ampla extensione potestatis Syndici Apostolici &c. tum quia apud non paucos ed deuentum erat, ut etiam tractare pecunias admitteretur Fratribus cum simplici ac solo usu facti, quamvis Regula dicat, ut nonlo modo pecuniam vel denarios reciperent: tum quia alias SS. Bernardinus, Capistranus &c. non tam vehementer restitissent: tum demum, quia ipsa docuit experientia, quod non recipientes similia Privilegia, benedicente, sicut approbante JESU Christo, intercedente Seraphico Patre, & cooperantibus summis terrae Principibus, longe magis fuerint per Orbem dilatati cum ingenti fructu animarum. Ceterum prosequendo ulterius descriptionem Ordinis hoc saeculo

Notandum 4to. Quod illi ex *Communitate*, qui proximè dicta Privilegia Apostolica receperunt, ad distinctionem *Observantium* fuesnti à Martino V. anno 1429. vocati *Claustrales*, ab Eugenio IV. autem anno 2431. *Conventuales*. Hoc ultimum nomen deinceps semper retinuerunt, etiam postquam à reliquo corpore fuerunt per Leonem X. ex integrō divisi, & successivē pluribus Privilegiis verè dispensativis donati, Ex. Gr. quod Bonorum mobilium & immobilium in cōmuni habeant verum Jus post Concilium Tridentinum &c. &c. Ubi tamen ad tollendam omnem de nomine *Conventualitatis* æquivocationem.

Notandum 5to. Ex *Gubernatis* Tom. II. lib. 6. fol. 211. & lib. 9. fol. 488. Nomen illud ly *Conventualis* in Libris & Chronicis nostri Ordinis quadrupliciter summi. *Imprimis*, prout denotat eos, qui, sive fuerint *Observantes*, sive de *Communitate*, Ecclesiæ *Conventuales*, id est, tales habent, in quibus divina peragere, & mortuos sepelire valent; atque per hoc distingvuntur ab illis, qui in Eremitoriis morabantur, habentes præcisè *Oratoria*. *Secundò*, quaenam afficit habitantes de gremio in *Conventibus*, ad distinctionem præcisè Extraneorum, ibidem ad tempus, puta negotiorum causam &c. morantium. *Tertiò*, quatenus significat ly *Conventualis* existentes in Conventu formato cum certo Religiosorum numero ad discernendum ab iis, qui incolebant Residentias, vul-

gō Hospitia. Sub hac triplici acceptione quiunque sive *Observans*, si-
ve de *Communitate* poterit appellari *Conventualis*, si nimirum in formate
Couventu, vel in habente Ecclesiam *Conventualens*, vel tanquam mem-
brum ex gremio *Conventus* ejusdem existat. *Quarto*, demum accipitur
nomen *Conventualis* in sensu *Eugenii IV.* nimirum pro aliquo utente Pri-
vilegiis Apostolicis suprà memoratis. Et haec quadruplex acceptio no-
minis ly *Conventualis* bene est notanda, ex cuius ignorantia jam multi
etiam graves Authores impegerunt: nam in priori triplici sensu (non
verò in quarto & ultimo) etiam ante Eugenium IV. invenies nomen
Conventualis jam tempore *Innocentii IV.* circa annum 1259. vivere de-
sinentis. His nototis

Respondeo 1. Religio Seraphica etiam isto seculo mansit adhuc sub
uno Capite, seu sub uno Generali Ministro; quamvis enim Regularis
Observantia in duas Familias ob sui amplitudinem divisa haberit suos
proprios *Vicarios Generalis*, hi tamen, saltē aliquo modo in confir-
mati one dependebant à *Ministro Generali* totius Ordinis, uti patet ex
jam dictis precedentibus.

Respondeo 2. Sub hoc Capite, nimirum Ministro Generali cer-
tum est, quod ingens numerus Fratrum Regulam Seraphici Patris ad
literam, & ad mentem ejusdem absque ulla dispensatione stricte Obser-
vare conatus fuerit. Patet enumeratione: sic enim fecit integræ Re-
gularis *Observantia*, quam plurimis Provinciis in utraque Familia Cis- &
Ultramontana hoc seculo jam exornata. Item ex *Communitate* id ipsum
zelosè prestiterunt, præter non paucos particulares, integræ Congre-
gationes *B. Anadei Lusitani-* *Coletana*, *Clarena &c.* Utrum verò id
ipsum de aliis ex *Communitate*, qui in magno numero Privilegiis Apo-
stolicis suprà memoratis usi fuerunt, ab *Eugenio IV.* ad distinctionem
Observantium Conventualis vocati, manuteneendum sit saltē hoc secu-
lo & ante factam ex integro à *Leone X.* sequenti seculo separationem, &
an equam per Concilium Tridentinum, & per *Pium IV.* Constitutiones
Sedis Apostolice, in *Bullario Tom. II. Constitut. 103.* ejusdem Pontificis
reperiendā, Bonorum suorum in communi verum Jus obtinuerunt, ex
ipsis tantidicem jam erui poterit. Hoc juxta dicenda saltē certum est,
quod hi *Conventualis* successu temporis in seculis sequentibus, postquam
à toto reliquo corpore ex integro per *Leonem X.* fuerunt separati, Pri-
vilegia

vilegia verè dispensativa circa possidenda bona cum vero Jure in communi &c, obtinuerint, quibus defacto tutâ Conscientia fruuntur.

QUÆRITUR V.

Quænam Memorabilia pro DEI Ecclesia à Fratribus Minoribus fuerint præstata in hoc agtio sui Ordinis Sæculo? Respondeo inter alia quædam plura sequentia.

I. FRATRES MINORES, præsertim Regulatis Observantiae, unà cam sacratissimi Ord. S. Dominici Alumnis hoc ipso seculo plurimum contribuerunt ad celebrationem Generalis Concilii, Ferrarie an. 1438. inchoati, & Florentiae completi, quod exinde Concilium Florentinum communiter appellatur, sicutque principaliter ad introducendam Ecclesiæ inter Occidentalem & Orientalem perfectam unionem congregatum. Congressus præparatorii, ad facilitandam per continuas prævias disputationes dictam unionem, peragebantur in Ecclesia Fratrum Minorum. Actuali Synodo ex Seraphica Religione interfuerunt Aloysius de Pyramo, Episcopus Forliviensis: Gondisalvus de Vallebona, Episcopus Granatensis: Elias de Vice-Comitibus de Bourdeille, Episcopus Petragoricensis: Guilielmus de Casali Minister Generalis totius Ordinis S. Francisci: Angelus de Perusio, Jacobus de Tolentino, Jacobus Textor, Augustinus Ferrariensis, Petrus Perquerius, Lucas Senensis, & Franciscus Arimennensis, omnes SS. Theologiae insignes Professores, quibus accesserunt zelosissimi Franciscani Regulatis Observantie, jam actualiter in Sanctorum numerum relati, Bernardinus Senensis, Joannes Capistranus, & Jacobus Picanus seu de Marchia.

Alius Jacobus Franciscanus, sanguine Illustris de Primadizio, ex Provincia Bononiensi, Constitutus à Summo Pontifice totius Orientis Vicarius Generalis, unà cum suis sociis ejusdem Provinciæ persuasit Patriarchæ Armeniae, ut relectis suis erroribus sese cum tota natione Summo Pontifici Eugenio IV, submitteret, ac Legatos ad dictum Concilium Florentinum destinaret.

Ipsilon in *Egypto & Mesopotamia* effecit *Albertus à Sartiana*, ex Regulari Observantia, apud Jacobitas, ab impio quodam Jacobo sic dicitur, hæreticæ Dioscori ac Eutychetis Doctrinæ alias in non paucis adhærentes.

Idem *Albertus*, ut eximius Theologus, & græcā non minus ac latina eloquentia clarus, in Comitatu aliorum Confratrum efficacissima sua suadā *Ioannem Paleologum VII.* Græcorum Imperatorem Schismaticum, unā cum Patriarcha Constantinopolitanō, aliisque Græciæ Optimatibus pariter illuc traxit, ut prius noster *Hieronymus ab Ascensione Michaëlem Paleologum ad Concilium Lugdunense*, ubi denuò exoptatissima Græcam inter & Latinam Ecclesiam unio, toties à græcis inconstantibus jam fracta, de novo fuit restituta, consentientibus atque subscriptoribus non minus Imperatore Orientali, ac locum teneantibus Patriarcharum, cæterisque Ecclesiam Orientalem representantibus.

Contribuit ad Sanctam hanc (& utinam constantem!) unionem non parū miraculosa illa *S. Bernardini Senensis Concilio*, quā doctissimè non minus ac ferventissimè ibidem in lingua græcā peroravit, non sine grandi prodigo, utpote ejusdem linguae alias profus expers. Vid. *Gubernat. de Miss. ant. fol. 335.*

II. Quanta pro Ecclesia Dei, Peccatorum reductione, & Hæreticorum ac infidelium conversione in Europa præstiterint hoc sæculo *S. Bernardinus Senensis*, *S. Joannes Capistranus*, *S. Jacobus de Marchia*, & *B. Bernardinus de Eletro*, omnes Franciscani Regularis Observantie, integrī libri testantur. Quæ in *S. Bernardino* specialius se venerari dicebat, apud Nigrorum, *S. Ignatius de Loyola*, inclytæ Societatis JESU Fundator, duo sunt, *primum*, quod ad expiandas à vitiis & confirmandas in bono fidelium animas Sacramentorum frequentiam induxit: *Alterum* quod pro adoratione SS. Nominis JESU (in quo oportet nos salvos fieri) invicta constantia ac incomparabili gloria decer- taverit.

S. Capistranus, Turcarum terror, qualiter unā cum concretis sibi militibus, Cruce signatis, infensissimum hunc Christiani nominis hostem, invocato SS. Nominis JESU in acie fuderit, ac simul Belgradum ab Obsidione, & totam Christianitatem ab imminenti gravi periculo liberaverit; quomodo Fraticellos hæreticos post labores innume-

ros è Piceno ejecerit: quo centena millia Schismaticorum, Hæreticorum, & Infidelium ad gremium S. Matris Ecclesiae duxerit: quam multas cemum Legationes Apostolicas sub Summis Pontificibus, *Martino V. Eugenio IV. Nicolao V. & Callisto III.* ad Imperatorem, Reges, & Ptiacipes obierit, nemini ignotum esse potest, qui vel parùm in Historicis est versatus.

Peculiarēm *S. Capistrani* retinet memoriam inter omnes Germaniæ Provincias *Austriacæ*, ejusque Metropolis Vienna; in cuius Suburbiis anno 1451. habitaculum Fratribus de *Observantia* à Friderico IV. Imperatore erectum est, postea à Turcis demolium, à *Ferdinando I.* verò in Urhem translatum. Anno 1454. idem Sanctus Viennæ Capitulum celeravit Provinciæ *Austriacæ*, quæ ob nimiam suam latitudinem anno 1467. in 3. Provincias est divisa, *Austriacam*, *Boëmicam*, & *Polonicam*, cooperante plurimū P. *Andrea Leubs*, tunc Provinciale, magnæ pietatis fama illustri.

Certabant mutuo inter se amore *S. Capistranus* & Urbs *Viennensis*, quam ille, anno 1451. cum magno gaudio & honore exceptus, innumeris miraculis decoravit; sed & erga inclytam Universitatem ibidem tenerrimum suum affectum literis sub 24. Sept. ejusdem anni ex Moraviâ datis, abundè expressit, cui controversias cum Hæreticis Boëmiæ ventilatas confidenter communicavit. Optabat pro congressu Disputationis de fide, cum *Joanne Rokizan*, Hussitarum Primario, invenit, præ omnibus locum *Viennensem*, sed dolosus Heresiarcha, licet provocans, cause sue merito diffidens, & hanc & alias Palæstras turpiter elusit. Vid. *Wad. Tom. 6. fol. 5. num. 12. &c. fol. 119. num. 32. & fol. 669. num. 6. Fortun. Chron. fol. 184. &c. San-nig. p. 4. fol. 208. & p. 5. fol. 66.*

S. Jacobus de Marchia, Inquisitor Generalis contra hæreticam pravitatem à Summis Pontificibus ordinatus, tanquam Commissarius, & Concionator Apostolicus perlustravit suis ferventissimis adhortationibus præter Italianam, etiam Germaniam, Polonię, Prussiam, Bohemię, Daniam, Norwegiam, Bosnię, Croatiam, Dalmatię, Slayoniam & Walachiam, ubi longe ultra ducenta millia Hæreticorum ad veram fidem convertit, & 50. circiter millia Infidelium baptizavit.

Tandem *B. Bernardinus de Eletro*, omnium Concionatorum suo tempore facilè Princeps, ac teste *P. Fort. Heub. in Menol.* 29. Sept. fol. 1881. num. 6. Divorum *Augustini ac Hieronymi* in perorando familiaris Imitator, tantum effecit contra Judæos, ut intolerabiles eorum Usuræ in multis locis fuerint sublatæ, ac utilissimi *Montes Pietatis* pro sublevamine pauperum Christianorum ipso Authore errecti. Ita Chronistæ superius citati.

Demum hoc ipso sæculo plurimū eluxit non minus in Ecclesiā Dei *Pietas*, quam in Seraphicum Ordinem constans amor Augustissimæ Domus *Austriacæ*. Ad initium enim sæculi *Albertus IV. Archidux*, ob miras virtutes *mirabilia Mundi cognominatus*, in Palæstinam proficisciens, &c. occultatæ quidem sua Dignitate, *Ordinem Equitum S. Sepulchri* de manu *P. Guardiani Hierosolymitani*, juxta Privivilegia Apostolica eidem concessa, suscipere dignatus, suam erga S. Ordinem affectionem hæreditariè quasi Posteris reliquit. Ejus filius *Albertus V. Rom. Imper.* hujus nominis II. *S. Jacobum de Marchia* anno 1439. contra Hæreticorum technas & insultus potenter defendens, ingentem illum fructum animarum, quem sanctus Vir in *Hungaria, Bosnia, Walachia &c.* collegit, sua authoritate vel maximè promovit. Sic *Friderici IV. Imperatoris* zelus in *S. Joanne Capistrano* anno 1451. sua Majestate complevit, quidquid ille in Terris Hæraditatis Austriæ pro animarum salute, Ecclesiæ DEI & Regularis Observantia incremento operatus est. Vid. *Wad. Tom. 5. fol. 363. num. 41. 42. &c. Reines. in Thalete*, pag. 169. 172. 205. 223. &c.

III. Ab *Europâ* deveniendo in *Insulas Canarias*, seu *Fortunatas* in *Africa Mari Atlantico* sitas ubi *Insulares Idolatræ* sine legibus, Bellarum more, vivebant Fratres Minores instituerunt Missiones suas anno 1417. quorsum, unà cum supremo *Navium Gubernatore Bentacurso*, à Rege *Hispaniarum* singulartier dilecto, transfretarunt sub *Fr. Joanne de Baëza* Provinciæ *Bethicæ*, tum excellentiâ Doctrinæ, tum Religionis zelô Viro conspicuo, ac totius Missionis præfecto, qui unà cum *Franciscanis* sociis, ad hoc electis, & propediem multiplicatis, ab *Apostolico* non destitut Officio, donec ibidem, prout à Deo continuis lacrymis expetebat, stabilitam Fidem Catholicam videre promeruerit, quæ partim per nostrum *S. Didacum*, spe Martirii anno 1441. illuc

profectum, ac verbo & exemplo multos Infideles ad Christi fidem perducentem, partim per alios ferventes successu temporis, adeò in his Terris dilatata fuit, ut anno 1459. pro Franciscanis Regularis Observantiae authoritate Summi Pontificis Pij II. jam integra Vicaria, seu quasi Provincia erecta cerneretur. Immo jam anno 1424. Martinus de las Casas ex Ord. Seraph. institutus est Episcopus in insula *Forte ventura*, unâ de *Canarijs*, anno 1417. inventâ. *Wad. Tom. 5. ad an. 1424. n. 8. fol. 161.* & *Gubern. de Miss. ant. fol. 646.* *Petr. Ant. de Venet. Tom. 2. fol. 476.*

IV. Plures adhuc Insulas in *Mari Africano*, seu Atlantico sitas, tertio hoc Ordinis seculo Prædicatione Evangelii, ac lumine veræ Fidei illustrarunt Fratres Minores S. P. Francisci, non sinè gravi vitæ periculo abeuentes cum Navibus Regis Lusitanæ *Joannis I.* qui post Victoriam Septanam unâ cum *Henrico* filio suo, animum induxit ad investigandum & excurrendum ultra Herculis Columnas Oceânū.

Imprimis quidem circa an. 1400, invenerunt Insulam *Madaram*, vulgo Insulam lignorum, ab Arborum multitudine & proceritate sic dictam; ubi primos luisse Fratres Minores, qui Fidei Christianæ semina diffuderint, & sancta Mysteria celebraverint, indubium pronunciat cum *Wad. Tom. 5. fol. 590. n. 38.* *Gubernatis de Miss. ant. fol. 654.* prout etiam defacto ibidem nostri, sub Generali Regularis & Strictioris Observantiae, integrum custodiā possident, cum Custode proprium votum in Capitulo Generali habente.

Pariter Fratres Minores anno Domini 1444. in eodem Mari Atlantico ad novem Insulas *Flandricas*, seu *Azorias*) Hispanicè de los Azores, ob Accipitrum copiam appellatas) omnium primi, teste *Gubern. l. c. fol. 653.* Evangelium Christi deportarunt, Apostolica Prædicatione, Catechetica instructione, Baptismatis administratione, & efficacia Verbi Divini Insulanos ad Fidem Christi pertrahendo, à quibus vicissim adeò tenerè etiamnum amantur, ut una integra Provincia, ac distincta alia Custodia ex Franciscanis, nostro Generali subjectis, sit erecta, in qua indefessè Vineam Domini excolere continuant.

Similiter dum anno 1446. Lusitani in Oceanum Atlanticum, deinceps in Æthiopicum. felici conatu progressi, decem Insulas Capitis *Viriis*, vulgo *Hesperides* seu *Gorgones*, attigerunt, patiter Fratres Minores,

res, qui semper in Classibus erant animarum Procuratores, illuc Evangelicæ Prædicationis lucem invexerunt,

Obtinet ibidem defacto Patres nostri Strictioris Observantie, præter duo Hospitia, senis à Fratribus indesinenter exulta, etiam Monasterium formatum 20. Religiosorum in principali Insula S. Jacobi, exinde ad omnes & singulas, totius Insulæ Parochias, quin & ad reliquas in districtu Insulas Apostolico fervore excurrentes, maximo animarum fructu, *Gubern. l. c. fol. 665.*

V. In Asia, Grypho de Fandria, jam 22. ætatis anno magnus Theologus, ac Doctor Parisiensis renunciatus, postea verò zelosus Frater Minor, Regularis Observantie, Hierosolymam abiit, ut Græca, Chaldaica, & Arabica lingua se perfectum redderet: inde post septem annos ad Maronitas cum socio suo Francisco de Barcinona anno 1405. se contulit; ubi errores gentis illius abrogavit; Ritus Ecclesiasticos composuit, Ecclesias instauravit, ac demum ipsummet Maronitarum Patriarcham ad Obedientiam, Summo Pontifici præstandam, perduxit, postquam in ipso Festa Assumptionis B. V. MARIAE novo post Josue & Ezechiam miraculo, solem, jam Occasui propinquum, fecit in Oriente conspicere. Cujus insignis Portenti, & pro hoc subsecutæ Patriarchæ conversionis perpetuò memoriam agunt Maronites in prædictæ Assumptionis solennitate.

Mansit Grypho in vastissima illa Provincia 25. annis, demum consecratus Episcopus, & Maronitarum Patriarcha, novos ibidem creavit Suffraganeos, plurimosque ordinavit Episcopos.

Sicut in Monte Libano apud Maronitas strenue pro salute animarum laboravit Grypho ita nec in Montibus Cappiis cessit Ambrosius Scipio, Franciscanus, gentis illius Episcopus constitutus, in cuius subsidium ab Eugenio IV. vocati sunt 20. alii Franciscani Missionarii Apostolici,

Non minus Antonius de Troja, anno 1442. in Syriam missus; Patriarcham Schismaticum commovit, suo & totius populissimæ Nationis nomine ad Summum Pontificem ablegandi Archi-Episcopum Edesse, ut Fidem & Doctrinam Ecclesiae Catholice Romanæ recipiat.

Plurimum demum pro DEI Ecclesiastaboravit in Asia hoc sæculo Ludovicus de Bononia, qui, dum Callistus III. & Successor Pius II. con-

tra Turcas sacrum Bellum pararent, apud Regem Persarum, aliósque Orientales Principes tantum potuit, ut Hi per suos Legatos, unà cum ipso Ludovico Romanum destinatos, ad promiserint, contra illum infen-sissimum Christiani Nominis hostem pro succursu Christianitatis centum viginti millia Pugnatorum in aciem ducere. Vid. Wad. Tom. 6. an. 1460 f. 467. n. 8. Pet. Ant. de Venet. p. 1. f. 85.

VI. Finem hujus tertii Sæculi Seraphici Ordinis gloriösè coronavit adaperta per *Cristophorum Columbum* in Indiam Occidentalem, antea incognitam, nova ac prima Missio Franciscanorum, qui reliquis zelo-sissimis in Agro Ecclesiæ Operariis sacratissimarum Familiarum S. Do-minici, S. Augustini, & inclytæ Societatis JESU &c. viam strave-runt ad subsecutam copiosissimam animarum Messem. Nam dum ce-leberrimus ille Mathematicus ac Cosmographus Columbus à Rege His-paniarum Ferdinandō V. (cooperantibus ex nostra Seraphica Rel-gione Joanne Perez, & Ferdinandō de Calabria, Reginæ Confessario i) Naves debitè instructas, ac sufficientem Provisionem impetravit, & associatus aliquibus Franciscanis post plurima gravia pericula superata solidam quampiam in India Occidentali insulam, ab incolis *Haiti*, nunc verò novam *Hispaniolam*, seu parvam Hispaniam, nuncupatam invenit, illicè, celebratâ simul in his Terris primâ, à nostro P. Joanne Perez, Missâ, Crux Christi planta fuit, ex cuius mirabili contra ad-versariorum insultus conservatione Provincia ibidem, à nostris sucessivè erecta, sumpsit titulum S. Crucis. Quantam hæc felicissima ad-inventio aperuerit occasionem, millions animarum ad veram conver-tendi Fidem, subsequens sæculum ostendet.

Interim expediens videtur, quædam desuper Testimonia Extero-rum (citra tamen ullum aliarum SS. Religionum præjudicium) addu-cere, à Petr. Ant. de Venet. p. 1. fol. 87. & 88. relata: ubi Au-berlus Miraeus, Decanus Antwerpia, inquit: Primi Pracones Evange-lii in India Orientali & Occidentali fuerunt Sodales Franciscani, qui & primi in iis locis Episcopi fuere. Dominicus Gravina S. Ordinis Pre-di-catorum: Hi (intellige Franciscani) primitus in Indos Occidnos Chri-sti Fidem adduxerunt, ut una die unus solus septem mille Indos baptizâ-rit, alter quadringentos mille diversis vicibus undâ asperserit. &c. Hieronymus Platus Soc. JESU. Lib. 2. de stat. Religios. c. 30. = Primos

omnium, qui tantam hanc Provinciam aggressi sunt, Franciscanos fuisse legimus, atque eosdem etiam in iis regionibus inveniendis, cùm antea ne quidem de nomine auditæ essent, magnopere contulisse e ac paulò inferiùs. Itaque eūm, imperatâ Clas̄e, Columbus Mexicana Regna feliciter aper- ruit, atque Hispaniam tam letus rei Nuntius revertisset, statim alio quotε us Familie Patres in ea loca navigarunt &c.

Nolo tamen per hæc dicta, ratione Buellii Abbatis (quem do-
ctissimi Scriptores Benedictini primum Americæ Patriarcham defen-
dunt) q uidquam prejudicare Celeberrimo & Antiquissimo Ordini S. Be-
nedicti, cui nostra Seraphica Religio omnem reverentiam, & primum
Domicilium debet, utpote S. Patri Franciscō in Ecclesia Portiu-
cula à Reverendissimo Abate Benedictino benignissimè
concessum. Wad. Tom. 1. fol. 67. n. 26.



SÆCU-

SÆCULUM IV.
ORDINIS SERAPHICI
ab anno M D. usque ad
annum M. DC.

QUÆRITUR I.

Quinam Pontifices hōc quartō Seraphicæ Religionis Sæculō vixerint, & quales huic gratias contulerint ? Respondeo

I. **P**ius III. Senensis Italus, antea Franciscus Piccolomini, de quo in Pontificatu nihil occurrit notabile: vix enim virginis sex dies post Electionem in Cathedra D. Petri adimplevit, publico omnium luctu piissimè obiit, adhuc eodem anno, ac præcedens Pontifex, id est anno 1503.

II. **J**ulius II. Savonensis Italus, antea Julianus de Ruvere, totius ordinis Minorum ultra 24. annos Cardinalis Protector. Ut Pontificis sex anno 1506. ad tentandam denuo in vera S. Regulæ observationem perfectam unionem, convocavit Romæ Capitulum Generalissimum omnium Capitularium ex Ordine Minorum sub Vexillo Seraphici Patris Francisci militantium; ubi ad quatuor millia Fratrum euidem convenierant, in unione autem convenire non poterant, Conventualibus à suis Apostolicis privilegiis recedere nolentibus. Quare conformiter Pio II. inhibuit de novo transitum Observantium ad Conventuales, & Observantibus concessit facultatem apud Gubernatis T. II. f. 161. constrendi Conventus, ubicunque à Populo vocati fuerint: Item apud eundem

dem Authorem Tom. I. fol. 477. declaravit ut Familia Ultramontana Observantium fruatur iisdem Privilegiis, quibus gaudet Familia Cismon-
tana.

Ordinem Conceptionistarum, à cultu Immaculatæ Conceptionis B. Virginis sic appellatum, pariter nostro Ordini, qui tanta, uti aje-
bat, pro defensione Immaculatæ Virginis sustinere debuit, subjecit,
potenter assistente Franciso Ximenio Archi-Episcopo Toletano, &
Cardinali ex Regulari Observantia, ab hoc ipso Pontifice anno 1507.
ad illam dignitatem assumptō, cui adhuc duos præstantissimos alios
Theologos Franciscanos ex Communitate Clementem Grossum, & Mar-
cum Vigerium, quo ad purpuram Cardinalitiam adjunxit,

Fundamenta magnificentissimæ Basilicæ Vaticanæ, inter Orbis
miracula meritò computandæ, ipsem Romæ jecit, & Commissari-
os Apostolicos desuper ex Regulari Observantia videlicet Hieronymum
Torniellum & Franciscum Zenum, ad faciendas, ob immensos sumptus,
necessarias collectas super 25- Provincias, cum maximis Privilegiis in-
stituit Gubernatis Tom. II. fol. 201. Rexit Ecclesiam usque ad annum

1513.

III. Leo X, Florentinus Italus, antea Joannes de Medices, qui
Ordinem nostrum Seraphicum jam à puerō tenerimis amplexus est affe-
ctibus, prout verbis formalibus testatur ipsem̄ in Bulla s. Romanum
Pontificem anno 1516, edita,

Hac ipsa Bulla, ad tentandam denuo in puritate Regulæ perfectam
Corporis Seraphici unionem, convocavit Romæ Capitulum Generalissi-
mum, in quo renuentibus Conventualibus dimittere sua Privilegia Apo-
stolica, omnes reliqui, sacram Regulam servare cupientes ad literam,
& mentem Seraphici Patris (sive fuerint de Regulari Observantia, si-
ve de Communitate, puta Clareni, Amadei, Coletani, Fratres de sancto
Evangelio &c.) fuerunt authoritate Apostolica in unum corpus coadu-
nati sub unico nomine, ceteris dimissis, Fratrum Minorum Regularis
Observantie; quibus pariter committebatur à Pontifice potestas eligen-
di ex ipsis, exclusis Conventualibus, Ministrum Generalem totius Ordi-
nis, uti totum patet ex notissima Bulla Unionis s. Ite & Vos &c. unà-
cum altera Bulla Concordie s. Omnipotens DEUS &c. quas hic referre
opportunum judicamus.

BULLA

B U L L A U N I O N I S
F R A T R U M M I N O R U M
Felicitis Memoriæ LEONIS X.

LEO Episcopus Servus Servorum DEI, ad perpetuam rei memori-
am. Ite & vos in vineam meam, ait homo ille Paterfamilias, qui
„planta verat vineam mundi, Salvator, atque Redemptor, Domi-
„nus Noster JESUS Christus: qui etiam, etsi curam gerat de omni-
„bus, cunctaque dirigat, quæ ipse fecit; attamen inter cæteras plan-
„tationes, quas per ipsum Pater coelestis in solo plantavit militantis
„Ecclesiæ, vineam quandam, tam ardenti prosecutus est amore, ut
„suam velut propriam ubivis illam appelle: hanc siquidem vineam,
„sic assiduis, solertibus, ac fidelibus excoluit agricolis; ut alios primò
„manè, alios hora tertią, sextā, nonā, decimā verò, & undecimā,
„quasi incessanter, cultores transmiserit.

„Hæc est sacra illa Minorum Fratrum Religio, quæ virentibus ce-
„remoniarum folijs, per Viros Apostolicos, tanquam per palmites ex-
„tensoſ à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terra-
„rum, imò aquâ sapientiæ, & scientiæ, irrigavit montes, & imple-
„vit terram. Hæc est Religio sancta, & immaculata; in qua per spe-
„culum sínè macula, Redemptoris contemplatur præsentia, vitæ Chri-
„sti, & Apostolorum, inspicitur forma; per quam, priorum Ecclesiæ
„Fundatorum, ante oculos Christianæ plebis, reducitur norma. Quæ
„demum nihil, nisi Divinum, Angelicum, omni perfectione refertum,
„Christoque nihil, nisi conforme, ut non immerito sua dicatur; re-
„præsentat.

„Ad hanc vineam excolandam, primò manè, oriente jam sole;
„misit ipse Paterfamilias Angelum illum ascendentem ab ortu solis,
„habentem signum DEI vivi, Beatum FRANCISCUM; qui comitanti-
„bus in iræ sanctitatis Viris, primæ vitiis hujus, jaceret fundamenta.
„His successerunt Viri Religiosi; qui duce B. Bonaventura, muros hu-
„jus vineæ, jam utrinque ruinam minantes, horâ tertią, Trinitatis san-
„ctæ virtute, & adjutoriō, reparaverunt. Post hos, veluti horâ sex-

„tâ, prodierunt spiritu ferventes Fratres nonnulli; qui à sacro Viennen-
 „si Concilio, tanquam à DEO missi, & confortati, enervatam penè
 „disciplinæ censuram, ad sua principia revocârunt. Horâ verò nonâ,
 „moriente Domino suo, gentibus in dies malis, & scandalis hujus
 „vineæ agricolis, suscitavit spiritum adolescentis, paucorum videlicet
 „Fratum, qui signifero Nominis JESU, Bernardino Duftore, & Præ-
 „side, sacri Concilii Constantiensis frei præsidiis, langventem, imò pe-
 „nè mortuum, per orbem universum Ordinem vivificârunt.

„Novissimè verò diebus istis, quasi horâ ultimâ, apperuerunt Vi-
 „ni alii, qui zelantes, pro Domo Israël, succiderunt lucos, & demo-
 „liti sunt delubra; ac ubi abundabat peccatum, adjuvante Domino,
 „curaverunt per introductam reformationis normam, ut superabunda-
 „ret & gratia. Sed veluti inter parabolicos evangelicos illos villicolas,
 „quia novissimi æquabantur prioribus, murmur surrexit non parvum.
 „Sic, acclamatibus Regibus, Principibus, communitatibus, & popu-
 „lis, graves lites, & surgia, ac dissensiones, occasione superioritatis,
 „& perfectionis graduum, inter aliquos hujus Religionis Professores,
 „per totum mundum magis, ac magis augeri, dictim accepimus.

„Quare nos, cuius zelus ab ætate tenera, ardenti devotione effe-
 „buit ad hujus Ordinis Professores, & Ordinem ipsum totum: nunc
 „verò ex communi cura procurationis, & pastoralis regiminis, quam
 „immeriti sustinemus, ad componendas hujusmodi agricolarum lites,
 „& sedandas murmurationes, illius evangelici procuratoris more, tan-
 „tò provocamus ardentius, quantò frequentius, intenta mente recoli-
 „mus fructus uberes, quos ex eorum exemplari vita, & salubri doctri-
 „na, Universali Ecclesiæ continuè cernimus provenire? nec minus con-
 „tinuis Principum Christiauorum, præsertim charissimorum in Chri-
 „sto Filiorum nostrorum, Maximiliani Imperatoris electi, & Francisci
 „Christianissimi Francorum, ac Caroli Catholici Hispaniarum, Hen-
 „rici VIII. Angliae, & Emanuelis Portugaliae, Algarbiorum, & Ludo-
 „vici Ungariae, & Bohemiae, ac Sigismundi Poloniae, nec non Cri-
 „stierni Daniæ Regum illustrium, nec non nonnullorum Principum alio-
 „rum, Ducum, Comitum, Populorum, & communitatum, piis pro-
 „vocamus supplicationibus, & precibus, quibus pro pacandis hujus-
 „modi divisionibus, in Ordine D. Francisci exortis non cessant usque
 „hodie

„hodie, apud nos postulare; deputatis igitur à nobis, in secteto nostro
 „Consistorio, aliquibus ex Ven. Fratribus nostris S. Røm. Ecclesiæ
 „Cardinalibus; causas, & Seminaria hujusmodi jurgiorum, & divisio-
 „num diligenter perquirere, ac de remediiis opportunis, pro scandalis
 „præfatis, & litibus pertractare commisimus, & injunximus: qui lon-
 „go maturæ discussionis examine, diligentissimè ac fidelissimè justa com-
 „plentes, relatione per ipsos nobis facta, nec non pensatis per nos acu-
 „tiùs, quæ per ipsos, pro hujusmodi concordia tractata, & examina-
 „ta fuerunt: habita etiam super iis, in dicto Consistorio nostro, cum
 „eisdem Rom. Ecclesiæ Cardinalibus, matura deliberatione & eorum
 „unanimi consilio; præfato Ordini, modò infra scriptò, judicamus
 „providendum.

„Quia in primis, compertum habemus, Prælatorum diversitatem,
 „quorundam perpetuitatem, cæterorum verò Fratrum vitam non re-
 „formatam, hujusmodi litibus, & divisionibus, plurimùm causæ præ-
 „buisse; capropter, volumus, & ordinamus, prout in dicta regula B.
 „Francisci continetur, unum Ministrum Generalem totius Ordinis, de-
 „cætero omnibus, & singulis Fratribus ejusdem Ordinis, cum plenari-
 „a potestate, quæ ex regula, sibi competit præfici. Cui omnes, &
 „singuli prædicti Fratres, in omnibus, quæ non sunt contra DEUM, a-
 „nimam suam, & Regulam, firmiter teneantur obedire. Qui quidem
 „Minister Generalis, per sex annos ad plus, Generalatus fungatur of-
 „ficiò,

„Infra quem terminum, si aliquo tempore, appareret universitatè
 „Ministrorum Provincialium, & Custodum, prædictum Ministrum Ge-
 „neralem, non esse sufficientem, ad servitium, & communem utili-
 „tatem Fratrum; teneantur prædicti Fratres, in nomine Domini ali-
 „um sibi eligere.

„Quibus quidem sex annis, ut præfertur, expletis, ipso factò sit
 „absolutus à Generalatus officio, & pro tali ab omnibus habeatur.

„Electio verò successoris, fieri debeat, à Ministris Provincialibus,
 „& Custodibus Reformatis, tam Cismontanis, quam Ultramontanis,
 „in Capitulo Generali, dicti Ordinis, in festo Pentecostes, in loco,
 „quem Minister Generalis cum Capitulo Generali, proximè præceden-
 „ti, duxerint assignandum. Ad quod Capitulum omnes Ministri, &
 „Custo-

„Custodes, sive vocales tam Cismontani, quam Ultra-montani, ac
„cedere teneantur.

„Et ne caput à suis membris disforme appareat, volumus, & eti-
„am ordinamus, quod nullus Frater possit eligi in Ministrum Genera-
„lem, nisi vitam ducat reformatam, & pro reformato à communitate
„habeatur. In praefata verò electione Ministri Generalis, nullus pe-
„nitius vocem habeat, nisi reformatus, & pro reformato à Congrega-
„tione reformatorum habeatur: quod si in futuro quidpiam in contrari-
„um attentatum fuerit, irritum penitus, & inane habeatur. Quod ve-
„rò ad electionem muturi Ministri Generalis, in proximo festo Pentecos-
„tes, in Conventu de Ara Cœli de Urbe, juxta aliam nostram ordi-
„nationem, in literis in forma Brevis contentam, celebrandam; sta-
„tuimus, omnes Ministros, & Custodes Reformatos, ac Vicarios, &
„Discretos Fratrum de Observantia, seu familia, dictam electionem
„celebrare debere. Et ut praefata electio Ministri Generalis, quæ se-
„cundum prædictam regulam, à Ministris provincialibus, & Custodi-
„bus fieri debet, liberè secundum intentionem ejusdem regulæ, & abs-
„que quovis scrupulo celebretur, declaramus, Ministros esse, ipsos-
„que ad effectum electionis hujusmodi in Ministros ordinamus, & in-
„stituimus. Discretos etiam ipsorum, similiter declaramus esse Custo-
„des.

„Quod verò ad alios Fratres reformatos volumus, quod in Provin-
„ciis, in quibus Ministri pro tunc non sunt reformati, nec pro refor-
„matis habiti, sub quibus sunt aliqui Conventus reformati, duo Fratres
„electi à praefatis Conventibus reformatis, secundum aliarum litera-
„rum nostrarum tenorem, sub forma Brevis, voces Ministrum non re-
„formatorum, quantum ad praefatas Provincias, pro hac vice duntaxat
„suppleant. Fratribus verò de Congregatione Fr. Amadæi, de Cla-
„rensis, de sancto Evangelio, seu Caputio, pro singulis Provinciis, in
„quibus sunt Conventus, ultra suorum Vicariorum voces, pro hac so-
„lum vice, concedimus: quam quidem electionem à praefatis Fratri-
„bus de hujusmodi Generali Ministro faciendam, canonicam, secun-
„dum Minorum Fratrum regulam, ac formam, à B. Francisco in
„regula traditam, esse diffinimus; & etiam declaramus. Et ut in
„Ordine ipso, quantum cum DEO fieri potest, pax conservetur, &

„Charis-

„charitas per amplius inter Cis-montanos, & Ultra-montanos Fratres
 „eiusdem Ordinis, nutriatur; ordinamus, quod si Minister Generalis
 „ut præfertur) per sex annos de Cis-montanis Fratribus electus fu-
 „erit, sequentibus sex annis de Ultra-montanis Fratribus eligi debeat:
 „quem modum alternatis vicibus, in perpetuum volumus ab ipsis Fra-
 „tribus observari. Verum, quia conspicimus ipsum Ordinem per u-
 „niversam Christianitatem, mirum in modum dilatum, & ne ob hu-
 „jusmodi amplitudinem, debitò Pastoralis Regiminis careat beneficium;
 „decernimus, quod si Minister Generalis de Cis-montanis electus fuerit,
 „instituat in partibus Ultra-montanis unum Generalem Commissarium,
 „ab eisdem Ultra-montanis Fratribus eligendum; cui Minister Generalis,
 „super præfatos Fratres Ultra-montanos, vices suas committat, prout
 „Capitulo Generali expedire videbitur. Ita tamen, quod Commissa-
 „rius præfato Ministro Generali, omnimodè subjiciatur, ut cæteri dicti
 „Ordinis Prælati subjiciuntur; ac illi per omnia secundum regulam o-
 „bedire teneatur. Dum verò Minister Generalis fuerit ex Ultra-mon-
 „tanis Fratribus electus, tunc pariter Commissarium Generalem Cis-
 „montanum instituere debeat, pari modo, quo de Ultra-montano Com-
 „missario superius dictum, & statutum est. Qui quidem Commissa-
 „rius Generalis, per triennium solum Generalis Commissariatū fungen-
 „tur officio. Quo triennio elapsò novus Commissarius, per Ministrum
 „Generalem, in Capitulo Generali, ut supra eligendus, secundum
 „quod Ultra-montanis, vel Cis-montanis de Commissario fuerit provi-
 „dendum institui debeat. Minister verò Generalis in partibus, in qui-
 „bus suis sex annis fuerit, & ad alias partes se conferre voluerit, pro
 „tempore, quo absens fuerit, Commissarium locò sui, sic consiliò, &
 „assensu Diffinitorum Capituli Generalis hujusmodi, duntaxat relin-
 „quere possit. Et in partibus, quibus, dictis sex annis, non erit Com-
 „missarius Generalis, tenebitur Minister Generalis, primò triennio di-
 „ctorum sex annorum celebrare unum Capitulum, ad quod convenient
 „vocales illarum partium, à quibus assumptus fuerit; & similiter aliud
 „Capitulum in partibus, à quibus assumptus non fuerit, per se, vel
 „per suum Commissarium, ad quod omnes vocales dictarum partium
 „accedere teneantur, celebrare habebit: aut super hoc fiat, quod Ge-
 „neralis Minister cum Capitulo generali judicaverit faciendum. Porro,
 „quan-

„quantum ad Ministros Provinciales, in Provinciis, in quibus Ministri
 „pro nuac, non sunt reformati - seu pro verè Reformatis non haben-
 „tur, declaramus, ordinamus, & decernimus, Vicarios Fratrum de
 „Observantia, seu familia illarum Provinciarum respectivè ex
 „nunc, & in perpetuum, veros, & indubitatos earundem Provincia-
 „rum esse Ministros: illósque de cætero, nomine Ministrorum debere
 „appellari: quibus omnes, & singulos Frates, nec non domos, & lo-
 „ca eorundem, in dictis Provinciis (ut præfertur) consistentes, ple-
 „nariè submittimus: ac Generali, & aliis Provincialibus Ministris, au-
 „thoritatem, & potestatem, antè Generali, & aliis Provincialibus,
 „Vicariis de Familia nuncupatis attributam, & concessam, perpetuò
 „concedimus: ac concessam, & attributam esse, decernimus. Man-
 „dantes præfatis etiam regulam B. Francisci purè, & simpliciter Ob-
 „servantibus, ut dictis Ministris, sic per nos declaratis, & ordinatis,
 „ut veris illarum Provinciarum Ministris, secundum regulam, per o-
 „mnia obedient. Denique, nè ex Ministrorum Provincialium perpe-
 „tuitate Ordinem ipsum in ruinam iterum collabi contingat; volumus,
 „& ordinamus, præfatos Provinciales Ministros, ultra triennium
 „in suis non posse continuari officiis: quò triennio elapsò, pro absolu-
 „tis ab officio, à cunctis Fratribus habeantur. Poterunt tamen in-
 „fra dictum triennium à suis Capitulis Provincialibus, quæ secundum
 „regulam, & eosuetudinem celebrabuntur, si minus utiles inventi fue-
 „rint, ab officiis Provincialibus absolvi: & idem judicium de Custodi-
 „bus per omnia habeatur. Nullus verò in Ministrum Provincialem,
 „aut Custodem eligi, aut in ipsorum electione, vocem habere poterit,
 „nisi vitam ducat reformatam, & à communitate Reformatorum illi-
 „us Provinciæ, cui præficiendus est pro tali habeatur. Quicquid au-
 „tem in contrarium attentatum fuerit, ipsò factō, irritum sit, & inane.
 „Præterea, quia de Reformatis, ac purè, & simpliciter Regulam B.
 „Francisci hujusmodi servantibus, sèpiùs in præcedentibus, & se-
 „quentibus mentio habetur; volumus, & declaramus sub nomine Re-
 „formatorum, ac purè, & simpliciter Regulam B. Francisci hujusmo-
 „di observantium, comprehendi omnes, & singulos infra scriptos: vi-
 „delicèt, Observantes, tam de Familia, quam Reformatos sub Mini-
 „stris, ac Fratris Amadæi, de Coletanis, Clarenis, de sancto Evan-
 „gelio,

„gelio, seu de Capucio, ac Discalcketos nuncupatos, aut alias similes,
 „quocunque alio nomine nuncupentur, & regulam ipsam B. Francisci
 „pure, & simpliciter observant: ex quibus omnibus supradictis, nūm
 „corpus insimul facientes, eosdem ad invicem perpetuò unimus. Ita-
 „que de cætero, omissa diversitate nominum prædictorum, Fratres Mi-
 „nores Sancti Francisci Regularis Observantie, vel simul, vel disjun-
 „ctivè, nuncupentur, & nuncupari possint, & debeant: omnésque,
 „& singulos, ut præfertur, unitos, Generali Ministro prædicto, ac Pro-
 „vincialibus Ministris, & Custodibus, in quorum Provinciis, & Custo-
 „diis respectivè morantur, in omnibus, & per omnia secundum regu-
 „lam subjici debeant.

„Conventuales verò secundum privilegia viventes; quomodo eis-
 „dem Ministris Generalibus & Provincialibus subjici, & obedire debe-
 „ant, per alias nostras desuper edendas literas, declarabimus. Cæ-
 „terum, ut dissensionum, scandalorum, & partialitatum fomes penitus
 „ab ipso Ordine tollatur; præcipimus firmiter, & mandamus, sub
 „pœna excommunicationis latæ sententiæ, ipso facto iucurrente, à
 „qua nullus, præterquam in mortis articulo, nisi à nobis, aut à Sede
 „Apostolica absolvi possit: nè aliquis Frater Ordinis S. Francisci, ap-
 „pellet alium Fratrem ejusdem Ordinis, malitiosè, irrisoriè, seu im-
 „probrosè, privilegiatum, Coletanum, Bullistam, Amadæistam,
 „Clarenum, de Evangelio, seu de Capucio, Bigotum, aut alio quo-
 „nomine, etiam de novo reperto, seu fortè in futurum, occasione
 „priorum divisionum ipsius Ordinis, vel hujus nostræ sanctæ Institu-
 „tionis, & Unionis, Spitiūs S. gratiā, compositæ, à quocunq; im-
 „ponendo, seu improperiioso nomine, aut quod pro improperiioso à
 „patientibus habetur: nec non omnibus, tam Clericis, quam Laicis
 „nè Fratres hujusmodi, aut eorum fautores, præsatis nominibus irriso-
 „riè, seu malitiosè appellat: sed omnes Fratres ipsius Ordinis, Fratres
 „Minores, ut præfertur, seu S. Francisci à se ipfis, & omnibus aliis
 „nominentur. Item statuimus, quod de cætero, nullus Frater refor-
 „matus possit per quemcunque Prælatum Ordinis, & Ministrum Ge-
 „neralem, mitti ad morandum ad aliquem Conventum non Reforma-
 „tum, aut pro Reformato non habitum: excepto, quod si Capitulis,
 „Provincialibus videretur minus malum, aliquem Fratrem licentiare

„ad nondum Reformatos, quām ipsum cum Reformatis retinere ; tali
 „casu possint Prælati mittere Fratrem, seu Fratres reformatos ad non-
 „dum reformatos. Inhibentes sub excommunicationis latæ sententia
 „pœna, omnibus, & singulis Conventualium secundum privilegia vi-
 „ventium, Prælatis, ac Fratribus, nè aliquem ex præfatis Reformatis
 „(nisi modō prædictō) recipere audeant. Similiter, & dictis reforma-
 „tis Fratribus sub eadem pœna, ne ab obedientia suorum Ministrorum
 „nullatenūs, quām modō prædictō, recedant. Et nè ex novatum
 „sectarum in dicto Ordine forsan introductione fienda, Ordinem ite-
 „rūm in rixas devenire oporteat ; volumus, & in virtute sanctæ obedi-
 „entiae firmiter præcipimus, & mandamus, quod de cætero nullæ no-
 „væ sectæ, vel reformationes in dicto Ordine introducantur, aut fiant
 „absque Ministri Generali, aut Provincialium Ministrorum reformato-
 „rum in suis Provinciis respectivè expresso assensu. Ita tamen, quod
 „dictæ reformationes, ipsi Ministro Generali, & Provincialibus refor-
 „matis per omnia juxta regulam subjiciantur, ut suprà expressum est
 „de aliis reformatis, quapropter omnes domos, loca, & eremitoria,
 „quæ Fratres de observantia, seu Familia, seu alii Reformati sub Mini-
 „stris quocunque nomine appellati fuerint, hactenūs tenuerunt, & pos-
 „sederunt, ipsi Ministro Generali, & Provincialibus Ministris refor-
 „mati, & per nos sic institutis, & declaratis in suis Provinciis respecti-
 „vè, perpetuò subjicimus, & incorporamus. Volentes, loca ipsa, per
 „ipsos Ministros, ac eorum successores reformatos, perpetuò teneri, &
 „regi, & gubernari. Quascunque lites desuper exortas coram quibus-
 „cunque Judicibus, Ordinariis, vel delegatis, etiam S. R. E. Cardina-
 „libus, & dicti Ordinis Protectore, aut Sacri Palatii Nostri Auditoribus,
 „sive Commissariis Apostolicis, tam in Rom. Curia, quām extra can-
 „dem, & tam inter Prælatos, quām etiam inter Subditos, in quibus-
 „cunque, statu, vel instantia, tam super possessorio, quām petitorio,
 „seu & spolio, si quomodo libet prætendi possit, de super pendens. eti-
 „hujusmodi loca de obedientia, & de Capitulis Fratrum Conventuali-
 „um, dicti Ordinis fuissent prius : ad Nos advocamus penitus, & ex-
 „tingvimus, silentium perpetuum partibus imponentes, sententias quo-
 „que, & processus, per quoscunque judices in eis habitos, & latos, ac
 „inde secura quæcunque, etiam si lites ipsæ, ratione locorum, Fratrum,
 & bo-

„& bonorum, sive inde receptorum, aut eujuscunque alterius rei oc-
 „casione, vel causa, motæ fuissent; cassamus, & annillamus. Et
 „nihilominus dictis Fratribus Conventualibus, nec non quibusvis Judi-
 „cibus, ac aliis quibuscunque, ne quicquam contra hujusmodi nostram
 „declarationem, institutionem, innovationem, unionem, & incor-
 „porationem, in judicio, vel extra, attentare, procurare, judicare,
 „pronuntiare, et si eis per Nos commissum existat, seu in futurum com-
 „mittatur, præsumant; sub pena excommunicationis latæ sententiæ,
 „ac privationis beneficiorum, quæ obtinent: ac etiam inhabilitationis
 „ad alia imposterum obtainenda, eo ipso incurrenda; inhibemus, præ-
 „cipimus, & mandamus. Demum, ut secundum exigentiam loco-
 „rum, personarum, & morum, cuncta, quæ conduceere videbuntur,
 „pro manutenenientia reformationis, per totam Christianitatem in dicto
 „Ordine, jam Divinâ gratiâ introductæ, justè, providè, & discretè,
 „valeant statui, & ordinari; volumus Capitulum Generalissimum pro-
 „ximiè celebrandum teneri deputare, ex probatioribus Doctoribus, ac
 „magis expertis Fratribus, nonnullos ex diversis Regionibus assumptos:
 „qui omnia, & singula, quæ pro manutenenientia reformationis, & vera
 „Regulæ Observantia, ac hujus nostræ constitutionis debita executio-
 „ne, accomoda judicaverint, in unum colligant: approbanda perto-
 „tum Capitulum, vel majorem partem ejusdem, ac tandem per Nos
 „Apostolicæ confirmationis patrocinio munienda. Et nihilominus mo-
 „derno, & pro tempore existenti, Cameræ Apostolicæ Generali Au-
 „ditori, nec non universis Archi-Epis copis, & Ecclesiarum Prelatis,
 „ac quibuscunque in dignitate Ecclesiastica constitutis personis, per A-
 „postolica scripta mandamus, quatenus ipsi, & eorum singuli præ-
 „sentes nostras literas, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando
 „opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Generalis, ac Provincialium
 „Ministrorum Reformatorum, seu alicujus eorum, super hoc requisiti
 „fuerint, solemniter publicantes, eique in præmissis, efficacis defensio-
 „nis præsidio assidentes, faciant eos omnibus, & singulis prædictis, pa-
 „cificè frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscunque,
 „quavis autoritate fungentes, quomodolibet indebet molestari. Con-
 „tradictores per censuras Ecclesiasticas, & alia juris remedias, invocat
 „etiam ad hoc, si opus fuerit, auxiliò brachii secularis, appellation

„post

„postposita, compescentes Non obstantibus quibuscumque literis A-
 „postolicis, & indultis, & sacri Concilii Constantien. dictæ Religio-
 „nis Fratribus, Familiis, Congregationibus, denominationibns, aut
 „alicui eorum, sive illarum auctoribus, & institutoribus, Conventua-
 „libus, sive Reformatis, aut de Familia Fratribus, sub quibusvis verbo-
 „rum formis, solemnitatibus, & clausulis fortioribus, & insolitis con-
 „cessis, seu forsitan futurum concedendis, etiam si tales forent, quod
 „de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, invidua, ac de verbo
 „ad verbum, mentio esset habenda: quibus quoad præmissa expressè
 „derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterum, quia
 „difficile foret, has nostras præsentes literas ad quælibet loca, ubi opus
 „fuerit, deferre; Volumus, & authoritate Apostolica decernimus,
 „quod transumptis earundem, manu Notarii publici signatis, & alicu-
 „jus Prælati Ecclesiastici sigillō munitis, ea proflus fides in judicio, &
 „extra adhibeatur, quæ adhiberetur, si præsentes originales literæ exhi-
 „bitæ, vel ostensæ forent: Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pa-
 „ginam nostræ institutionis, dissinitionis, submissionis, concessionis, or-
 „dinationis, declarationis, Unionis, statuti, subjectionis, incorpora-
 „tionis, advocationis, impositionis, cassationis, extinctionis, inhibi-
 „tionis, ac mandari, derogationis, voluntatis, decreti, infringere,
 „vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præ-
 „sumperit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum, Petri,
 „& Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Romæ,
 „apud Sanctum Petrum. Annō Incarnationis Dominiacæ Millesimō,
 „quingentesimō decimō septimō, quartō Kalend. Junii, Pontificatus
 „nostrī annō quintō.

B E M B U S.

Tho. de BINIS.

BULLA CONCORDIÆ
 Inter Ministrum Generalem totius Ordini-
 nis S. FRANCISCI , & Magistrum Gene-
 ralem Fratrum Conventualium
 ejusdem Ordinis.

LEO Episcopus Servus Servorum DEI, ad perpetuam rei memori-
 „am. Omnipotens DEUS, cuius perfecta sunt opera, qui cun-
 „cta sapientissimè condidit, in numero, pondere, & mensura,
 „& cujus nutu omnia reguntur; Romanum Pontificem sic Cathdlicæ
 „præficit Ecclesiæ, ut quæ Divino honori, salutique Fidelium cogno-
 „verit accommoda, non solum faciat, sed quantum in ipso fuerit, aspi-
 „rante cœlesti gratia, ad debitæ perfectionis perducat effectum. Sanè
 „diebus novissimis, cum Generalissimum Capitulum totius Ordinis B.
 „FRANCISCI convocari fecissemus, illudque in domo de Ara cœli de Ur-
 „be dicti Ordinis celebrari debere ordinavissimus, pro unione univer-
 „sali Fratrum prædictorum sub uno Capite reformato; inter alia facien-
 „da gro votiva hujusmodi unione, de Venerabilium Fratrum nostrorum
 „S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu, nec non ad Regum, & Prin-
 „cipium Christianorum humiles, & instantissimas preces, autoritate
 „Apostolica statuimus, & ordinavimus, quod de cætero perpetuis fu-
 „turi temporibus Minister Generalis totius Ordinis S. FRANCISCI à solis,
 „& de solis reformatis Fratribus dicti Ordinis, viventibus absque privi-
 „legiis bona temporalia concernentibus, eligi deberet, cui omnes, &
 „singuli Fratres secundum Regulam ejusdem B. FRANCISCI subjici, & o-
 „bedire tenerentur. Et deinde Fratres Conventuales, cum privilegiis
 „eis à Sede Apostolica concessis viventes, ac redditus, & possessiones,
 „aliave bona temporalia, secundum hujusmodi privilegia retinere vo-
 „lentes, per alias nostras literas etiam statuimus, & ordinamus, quod
 „unum ex eisdem Fratribus Conventualibus, vitâ, & moribus idoneum,
 „sibi eligare possent, qui eorum Magister Generalis appellaretur, & eo-
 „rundem

„rundem Fratrum Conventualium, sub dictis privilegiis viventium, cu-
 „ram gerere, & electionis de se factæ confirmationem à dicto Ministro
 „Generali totius Ordinis petere, deberet: prout in literis predictis ple-
 „nius continetur. Cùmque in Capitulo Generalissimo, in dicta domo
 „de Ara cœli hujusmodi nuper per Fratres reformatos celebrato, ibi-
 „dem præsentibus autoritate nostra Protectore ipsius Ordinis, & aliis
 „duobus ex S. R. E. Cardinalibus, ad id à Nobis specialiter deputatis,
 „die ad hoc per Nos assignata, Fratres ipsi vocem in electione Mi-
 „nistri Generalis hujusmodi habentes, dilectum Filium Christophorum
 „de Forlivio, qui Vicarius Generalis Fratrum Minorum be Familia tunc
 „fuerat, in Ministrum Generalem totius Ordinis S. Francisci ritè, &
 „rectè; Fratres verò Conventuales cum privilegiis (ut præfertur) vi-
 „ventes in domo Sanctorum Apostolorum etiam de Urbe dicti Ordinis,
 „ad id etiam legitimè congregati, dilectum Filium Antonium Marcellum
 „vitâ, & moribus idoneum, Magistrum Generalem Fratrum Conventua-
 „lium hujusmodi, etiam elegissent; Nos, cùm audivissemus electio-
 „nes de Ministro, & Magistro præfatis, per eosdem Fratres, juxta or-
 „dinationes nostras predictas (Spiritu S. id operante) summa cum cha-
 „ritate, ac pace, & unione, factas fuisse; dictum Antonium in Ma-
 „gistrum Fratrum Conventualium electū coram Nobis præsentem in Do-
 „mino benediximus, ac benedictionem nostram hujusmodi pro confirma-
 „tione, quam à præfato Ministro Generali petere tenebatur, pro hac vi-
 „ce duntaxat sufficere voluimus. Ac desiderantes per eosdem Christo-
 „phorum Ministrum, & Antonium Magistrum sic electos, & eorum
 „Successores fratres sibi commissos sub prospero, & felici regimine gu-
 „bernari, ac in pacifico, & tranquillo statu conservari posse; cogi-
 „tavimus tali modo providere, quod de cætero odor bonæ famæ eo-
 „rundem Fratrum apud omnes Christi Fideles, etiam Reges, & Prin-
 „cipes Religionis Christianæ, perpetuis futuris temporibus redoleat, &
 „pax, & unio plurimùm ab omnibus desiderata, conservetur, omnis-
 „que dissidii occasio, quæ (humani generis procurante inimico) exo-
 „riri posset, extingvatur, & penitus tollatur; aliqua per eosdem Mi-
 „nistrum, & Magistrum, aliosque ipsius Ordinis Professores, firmiter,
 „inviolabiliter servanda, motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac
 „matura cum eisdem Cardinalibus præsidentibus deliberatione præha-
 bita,

„bita , duximus statuenda : videlicet, quod præfati Antonii Magistri
 „Generalis Fratres Conventualium Successores , ab eisdem Fratribus
 „Conventualibus pro tempore electi, confirmationem ab eodem Mini-
 „stro Generali, & Successoribus suis Ministris Generalibus totius Ordini-
 „nis, quemadmodum Vicarii Generales tunc de Familia nuncupati pe-
 „tere tenebantur, petere teneantur : ac quod Magister nunc , & pro
 „tempore electus ad regimen Fratrum Conventualium S. Francisci, ju-
 „xta dictam nostram ordinationem Magister Generalis FF. Conventua-
 „lium in perpetuum appellari debeat. Quodque in singulis Provinciis
 „deputati ad regimen Fratrum Conventualium de cætero Magistri Pro-
 „vinciales Fratrum Conventualium cum suis sigillis vocari, & à Mini-
 „stris Provincialibus Regularis Observantiae in Provinciis juxta morem
 „dicti Ordinis respectivè pro tempore existentibus, confirmationem elec-
 „tionum de eis pro tempore factarum, eò modò, quo Vicarii Provin-
 „ciales olim de Familia nuncupati à tunc Ministris Provincialium Fra-
 „trum petere tenebantur, etiam petere teneantur. Quodq; tam Genera-
 „lis, quam Provinciales Ministri præfati, tam ante, quam post Genera-
 „lis, & aliorum Magistrorum confirmationem hujusmodi , tam de Ge-
 „nerali , quam Provincialibus, & aliis Fratribus Conventualibus, hu-
 „jusmodi , & eorum, ac aliorum Tertiī Ordinis Fratrum, & Sororum
 „nuncupatorum , qui eatenus sub Ministro Generali Conventualium
 „fuerant regimine, nullatenus se intromittere, aut eos per se, vel su-
 „os Commissarios visitare, seu corrigerre possint, nec aliquam jurisdi-
 „ctionem , seu superioritatem in ipsos exercere valeant , præterquam,
 „cum ipsum Ministrum Generalem pro tempore existentem ad ipsoru-
 „m Fratrum Conventualium domos , & loca declinare contigerit : quo
 „casu ipse Minister eosdem Fratres Conventuales paternè visitare ; ip-
 „sique Fratres Conventuales eundem Ministrum Generalem tanquam
 „totius dicti Ordinis Superiorem omni cum charitate, & dilectione re-
 „cipere debeant : dummodo idem Minister Generalis nunc , & pro té-
 „pore existens nihil judicialiter circa ipsos Fratres Conventuales, ac do-
 „mos eorum , & loca , ac etiam Monasteria Monialium, sub eorum cu-
 „ra degentium exerceat, nisi eò modò, quò Minister Generalis tunc
 „Fratrum Conventualium super Fratres de Familia, eorum domos, &
 „loca , & Monasteria Monialium tempore convocationis dicti Genera-
 L
 lissi-

lissimi Capituli, exercebat; exercere possit. Et insuper-Generali, &
 Provincialibus Ministris pro tempore existentibus sub excommunicata
 sententiae pœna, præcipimus, & mandamus, nè directe,
 etiam favore Dominorum temporalium, Civitatum, Universitatum,
 Oppidorum, Terrarum, & Villarum, ac Personarum Ecclesiastica-
 rum, etiam Prælatorum quorumcunque; seu eorundem Cardinalium,
 sive alio quæsito colore, vel ingenio malitiosè, quod domos, & lo-
 ca Fratrum Conventualium, seu Monasteria Monialium, curæ Magi-
 stri Generalis Conventualium hujusmodi subjecta, & quæ hactenus
 sub dicto Ministro Gen. FF. Conventualium fuerant, eis quæ
 quomodo auferantur; procurare præsumant; & nihilominus quid-
 quid in contrarium attentatum fuerit, sit eô ipsò irritum, & inane.
 Domus autem, & loca, ac Monasteria Monialium Magistro Genera-
 li Fratrum Conventualium ea subjecta esse intelligi volumus, quæ A-
 postolica, vel alia Authoritate Ministro Generali, ante celebrationem
 dicti Capituli Generalissimi proximè in dicta domo Ara-cœli celebra-
 ti, subjecta erant, & in quorum possessione ipse tunc Minister Gene-
 ralis Conventualium existebat, præsertim domus, seu Conventus Affi-
 sii, & Sancti Salvatoris de Urbe, aliæq; quæ plures domus ac mul-
 ta Monasteria Monialium, quæ eidem Ministro Generali tunc imme-
 diatè subjecta erant, quæ omnia ex tunc Magistro Generali Conven-
 tualium immediatè subjecta perpetuò sint, & esse censeantur: exce-
 ptis domibus, locis Monialium dictorum Fratrum Reformatorum per
 priores literas nostrass hujusmodi nuper unitis, quæ Generali, & Pro-
 vincialibus Ministris in suis Provinciis respectivè in omnibus subjecta
 remanere volumus. Statuimus etiam, quod si Fratres Conventua-
 les quandoque se reformati voluerint, reformatio ipsa, juxta privi-
 legia Apostolica eis concessa, per suos, Generalem, & Provinciales
 Magistros dumtaxat fieri debeat: nisi ubi Fratres alicujus domus, seu
 Conventus, ad veram, & regularam observantiam, & omnimodā
 Generali, & Provincialium Ministrorum observantiam venire, &
 Generali, ac Ministris aliis præfatis se subjecere vellent, Quo casu, si
 Fratres illarum domorum, in quibus à decem usque ad viginti tres;
 in aliis vero domibus, in quibus numerus à viginti usque ad quem-
 cunque numerum Fratrum eorundem Conventualium fuerint, dux-

, tantum partes subjectioni, & submissioni hujusmodi consenserint;
 , tunc Generalis, & alii Provinciales Ministri pro tempore existentes
 , domos Fratrum, subjectioni, & submissioni hujusmodi modò præ-
 , missò consentientium, quacunque contradictione non obstante, do-
 , mos Fratrum Conventualium, & illarum Fratres hujusmodi, liberè, &
 , licet recipere possint. Domos verò Fratrum Conventualium, in qui-
 , bus minor numerus, quam denarius fuerit, etiam de omnium Fra-
 , trum Conventualium ea: undem domorum consensu, nullatenus reci-
 , pere valeant; sed illæ Generalis, & aliorum Provincialium Magistro-
 , rum reformationi liberè dimittantur. Singulis verò Fratribus Conven-
 , tualibus, ad Generalem, & Provincialis Ministros transire volentibus;
 , ab eorum Superiorum priùs petitâ, licet non obtentâ licentiâ, libe-
 , ram transeundi licentiam, & facultatem concedimus. Præterea vo-
 , lamus, quod illi ex Fratribus Conventualibus, qui de cætero vitam
 , reformatam, sub Generali, seu Provincialium Magistrorum cura
 , ducere voluerint; sub eorum regiminine permanere possint: dummodo
 , aliquod signo notabili distinctivo distinguantur, & discernantur ab illis, qui
 , vitam regularem, sub Generali, seu Provincialibus Ministris ducunt,
 , prout Generalis Minister, & Magister inter se convenerint: bonis præ-
 , fatarum domorum reformatarum immobilibus, & omnibus, quorum
 , Fratres reformati non sunt, nec capaces esse volunt, Generali, & a-
 , liis Provincialibus Magistris ad eorum liberam dispositionem liberè re-
 , manentibus. Et ne inter Reformatos, & Conventuales præfatos super Fratres
 , præcedentia dissensio, & contentio oriri posset. Volumus, & etiam statui-
 , mus, quod inter eos talis ordo servetur: videlicet, quod in Processi-
 , onibus, & Funeralibus, ac Exequiis, nec non in omnibus aliis acti-
 , bus publicis, Fratres Conventuales Fratribus Regularis observantiae
 , locum digniorem relinquere teneantur: si tamen aliqui Graduati, seu
 , antiqui Patres, aut Guardiani domorum Conventualium remanere vel-
 , lent cum quibusdam Fratribus antiquioribus, sub Generali, & Pro-
 , vincialibus Ministris viventibus; tunc, & in hoc casu, ut evitetur dis-
 , sensio hujusmodi, & perfecta unio conservetur simul incedere, ipsi-
 , que Conventuales semper eorum Crucem, & Vexillum per eos deferri
 , solitum, deferre liberè, & licet valeant. Postremò omnia, & singu-
 , la privilegia, & indulta dicto Ordini, tam per Nos, quam per alios

„quoscunque Romanos Pontifices hactenus concessa eisdem Fratribus
 „Regularis Observantiae, ac Conventualibus (in quantum præmissis non
 „sint contraria) autoritate, & tenore præsentium, invicem perpe-
 „tuò comunicamus, & suffragari volumus, eaque omnia, etiam illis
 „de novo concedimus. Quocirca Cameræ Apostolicae Generali Au-
 „ditori, nec non universis Patriarchis, Archi-Episcopis, & Episcopis,
 „& Ecclesiarum Prelatis, ac quibuscumque in dignitate Ecclesiastica
 „constitutis Personis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus,
 „ipsi, & eorum singuli præsentes Nostras literas, & in eis contenta,
 „quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Mini-
 „strorum, & Magistrorum, aut alicujus ipsorum super hoc requisiti
 „fuerint, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensio-
 „nis præsidio assistentes, faciant eos præsentibus literis, ac omnibus,
 „& singulis in eis contentis pacifice frui, & gaudere. Non permitten-
 „tes, eos desuper inter se, ac etiam per quoscunque alios, quavis au-
 „thoritate, & potestate fungentes, quomodolibet indebet perturbari,
 „aut molestari. Contradictores per censuras Ecclesiasticas, & alia ju-
 „ris opportuna remedia (appellatione postposita) compescendo. In-
 „vocatò etiam ad hoc (si opus fuerit auxiliò brachii sacerularis.) Non
 „obstantibus quibuscumque literis Apostolicis, & indultis, etiam Sacri
 „Concilii Constantiensis, dictæ Religionis Fratribus, Familiis, Con-
 „gregationibus, denominationibus, aut alicui ex eorum, sive illarum
 „Authoribus, & Institutoribus, sub quibusvis verborum formis sole-
 „nitatibus, & clausulis fortioribus, & insolitis, concessis, seu forsan in
 „futurum concedendis: quibus etiam, si ad illorum derogationem de-
 „illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, indivi-
 „dua, ac de verbo ad verbum, non autem per Generales clausulas id
 „importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua
 „alia exquisita forma servanda esset: illorum omnium tenores præsen-
 „tibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes: illis aliis in suo
 „robore permanuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè deroga-
 „mus contrariis quibuscumque. Aut si Ministris, & Magistris, ac Fra-
 „tribus præfatis, vel quibusvis aliis coüniter, vel divisiim ab Aposto-
 „lica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excoünicari
 „non possint per literas Apostolicas, non facientes expressam, & ple-

„nam,

, nam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentione. Cæ-
 , terum, quia difficile foret præsentes literas ad quælibet loca, ut opus
 , fuerit, deferre, volumus, & authoritate Apostolica decernimus, quoc
 , transumptis præsentium, manu Notarii publici signatis, & alicujus Præ-
 , lati Ecclesiastici sigillò munitis, ea prorsus fides, in judicio, & extra
 , habeatur, quæ adhiberetur, si præsentes originales literæ essent exhibi-
 , bitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam
 , Nostrorum, præcepti, statuti, communicationis, concessionis, man-
 , dati, derogationis, voluntatis, & decreti, infringere, vel ei ausu te-
 , merario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indi-
 , gnationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri, & Pauli Aposto-
 , lorum ejus, se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petru,
 , Annæ Incarnationis Dominicæ Millesimæ quingentesimæ decimæ septi-
 , mœ, pridie idus Junii Pontificatus Nostri Annæ quintæ.

TWO. de BINIS.

His duabus Bullis adhuc aliam geminam Constitutionem ejusdem
 SS. Leonis X. utpote ad hujus argumenti illustrationem plu-
 rimùm deservientem addimus.

LEO Papa X.

Universis, & singulis præsentes literas inspecturis, Salutem, &
 , Apostolicam Benedictionem. Licet alias, postquam statuera-
 , mus, & ordinaveramus, quod de cætero perpetuis temporibus
 , Fratres Beati Francisci, sub puritate Ejus Regulæ, & sub regulari ob-
 , servantia viventes, ac Reformati, Ministrum; Fratres vero dicti Or-
 , dinis Conventuales nuncupati, Magistrum, Generales habere debe-
 , rent; ne inter Reformatos, & Conventuales Fratres hujusmodi, su-
 , per præcedentia dissensio, & contentio orihi posset, voluerimus, & sta-
 , tuerimus; quod in Processionibus, & aliis actibus publicis, Fratres
 , Regularis observantiae Ministrum habentibus, locum digniorem re-
 , lin-

„linquere teneretur. Quodque Fratres ipsi Conventuales, semper eo-
 „rum crucem, & vexillum, per eos deferri solitum deferre liberè, &
 „licitè valerent. Quia tamen, ut ex nonnullorum relatione accepimus,
 „Fratres ipsi Conventuales prætendunt crucem ipsorum Conventuali-
 „um deferre in loco digniori; Nos autem, qui præmissa omnia statui-
 „mus, ut omnis dissensio, & contentio inter eosdem Fratres de obser-
 „vantia, & Conventuales tolleretur: mentisque nostræ fuerit, prout
 „id etiam expressimus, quod in omnibus actibus Fratres de observan-
 „tia, haberent locum magis dignum, quam ipsi Conventuales, & pro-
 „pterea mentis nostræ incomutabilis fuerit, prout existit, quod ipsi Fra-
 „tres de observantia, crucem suam in loco eriam digniori deferrent:
 „ad hujusmodi tamen ambiguitatis dubium de mentibus omnium tol-
 „lendum; motu proprio, & certâ nostrâ scientiâ, ac de Apostolicæ po-
 „testatis plenitudine, declaramus, mentis nostræ fuisse: quod tam
 „Conventuales, quam de observantia, & Reformati Fratres prædicti
 „in quibusunque Processionibus & aliis actibus, in quibus crux defe-
 „renda foret, crucem suam deferre possint: ita tamen, quod crux ip-
 „sorum Fratrum de observantia, & Reformatorum loco digniori defe-
 „ratur: quodque ipsi Fratres de observantia, & Reformati, veri, &
 „indubitate Fratres Ordinis B. Francisci, & Ejus Regulæ Observato-
 „res semper fuerint: ac Divina favente gratia sint futuri, sine aliqua
 „interruptione, seu divisione, à tempore editæ Regulæ per B. Fran-
 „ciscum usque ad præsens: ac sub ipsius B. Francisci Regula milita-
 „verint, & etiam ad præsens militent, sique in omnibus teneri, &
 „observari, ac dici debere decernimus, ac mandamus. Mandantes ni-
 „hilominus omnibus, & singulis Patriarchis, Archi-Episcopis, & E-
 „piscopis, ac Ecclesiarum Capitulis, sub Interdicti ingressus Ecclesiæ-
 „ac Suspensionis à Divinis, inferioribus vero prælatis, ac Parochialis,
 „Ecclesiarum Rectoribus, nec non Mendicantium, & aliorum Ordi-
 „num Professoribus sub excommunicationis latæ sententiæ poenis ipso fa-
 „cto incurriendis, à quibus nisi per Romanum Pontificem pro tempore
 „existentem, præterquam in mortis articulo absolví nequeant: quate-
 „nus declarationem, & decretum hujusmodi, inviolabiliter obseruent,
 „observarique faciant. Nec non, ne eosdem Fratres Conventuales, &
 „de Observantia, ac Reformatos hujusmodi, super his molestent, aut
 „per-

„perturbent, seu per quoscunque statūs, gradūs, Ordinis, vel con-
 „ditionis existentes, seu etiam inter se quomodolibet molestari, pertur-
 „bari, vel inquietari permittant. Non obstantibus præmissis, ac con-
 „stitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetu-
 „dinibus dictorū Ordinī juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis
 „firmitate alia roboratis: necnon privilegiis indultis, & literis Apostolicis il-
 „lis forsan concessis, confirmatis, & inuovatis, quibus illorū omnium te-
 „nores præsenti pro sufficienter expressis habentes, illis aliās in suo robore
 „permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus: cæte-
 „risque incontrariis quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentium
 „transumptis manu Publici Norarii subscriptis, & sigillō Ministri Gene-
 „ralis pro tempore existentis dicti ordinis Minorum, aut alterius Præ-
 „lati in dignitate Ecclesiastica constituti, munitis in judicio, & alibi,
 „opus ubi fuerit, eadem fides adhibeatur, quæ adhibetur eisdem præ-
 „sentibus literis, si illæ forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ
 „apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die sexta Decembri 1517.
 „Pontificatus Nostri anno quintō.

L E O Papa X.

Universis Archi-Episcopis, & Episcopis, ac dilectis Filiis omnibus
 „Personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, nec non singu-
 „lis Potestatibus, Gubernatoribus, aliisque Reipublicæ Admī-
 „nistratoribus, cunctisque Christi-Fidelibus, præsentes literas inspecturis
 „Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Celebrato nuper authori-
 „tate Nostra Capitulō Generalissimō omnium Fratrum Ordinis Beatā
 „Francisci, in domo de Ara-cœli, de Urbe, dicti Ordinis, ad humili-
 „les, & instantissimas Regum, & Principium Christianitatis preces,
 „unum Fratrem Regularis observantia, in Ministrum Generalem toti-
 „us dicti Ordinis, per Fratres Regulam observantes, eligi præcepimus,
 „& mandavimus; ad cuius electionem, cùm desideraremus Fratres
 „Conventuales dicti Ordinis convenire, suasimus eisdem Fratribus Con-
 „ventualibus, ut dimissis proprietatibus, possessionibus, & aliis direc-
 „,con-

„contra præcepta dictæ Regulæ militantibus, ad electionem hujusmodi
 „Ministri celebrandam, sicut & cæteri Fratres reformati, accederent.
 „Quibus dictam nostram oblationem constanter resellentibus; tandem
 „pro pace, & unitate, inter dictos Fratres Conventuales, & Fra-
 „tres Regularis observantiae, in futuris perpetuis temporibus conser-
 „vandis; Bullam, quæ de concordia appellatur, cuius initium est: Om-
 „nipotens DEUS, sub datnm pridie Idus Junii, Pontificatus Nostri
 „annò quintō, de partium consensu, non sinè multis laboribus, licet
 „voluntariis, edidimus. Ac postmodùm quibusdam, quæ obscura,
 „& dubia videbantur, per quasdam alias, declaratis, ac per reliquas
 „etiam Nostras, in forma Brevis literas, dictos Fratres Conventuales
 „monuimus, ut sedatis multis scandalis, & detractionibus, etiam in
 „dictos Fratres Regularis observantiae per eos, ut Nobis relatum fuerat,
 „perpetratis, & jactatis, ad plenum, & integrè omnia, & singula
 „contenta in dicta Bulla concordiae observarent. Nihilominus, sicut
 „à fide dignis nuper accepimus, dicti Fratres Conventuales, in multis
 „mundi partibus, gratiâ, per concordiam hujusmodi, per Nos eis fa-
 „ctâ, abutentes; spretis decretis, & ordinationibus Apostolicis, in
 „dicta Bulla concordiae contentis, pertinaci mente parere recusant.
 „Nos itaque rem tanta maturitate, & tot Regum, & Principium in-
 „stantissimis precibus, ad finem optatum deductam, pro nostro, &
 „hujus sanctæ Sedis honore, inviolabiliter observari volentes, motu
 „proprio, & ex nostra certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis ple-
 „nitudine, eisdem Patriarchis, Archi-Episcopis, Episcopis, & eorū
 „cuilibet, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna interdicti ingrel-
 „sūs Ecclesiæ, ac suspensionis à Divinis: inferiotibus verò Prælatis,
 „sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, ipsô factô incurrendis, à
 „quibus nonnisi per Rom. Pontificem pro tempore existentem, ne-
 „queant (præterquam in mortis articulo) absolvî: præcipimus, cō-
 „mittimus, & mandamus, quatenus ipsi, & eorum quilibet in solidū,
 „quoties à Fratribus Regularis observantiae requisiti fuerint, dictos Fra-
 „tres Conventuales sub Pœna privationis, & amissionis privilegiorum,
 „eis per dictam Bullam concordiae concessorum, moneant per eorum
 „literas patentes, ut dictam Bullam concordiae, ac omnia, & singula
 „in ea contenta cum effectu observent, & in eventu, in quo eis consti-
 „terit,

terit, eos contravenisse, declarent, eos pœnam privationis, hujusmodi incurrisse: & ex tunc, Fratres ipsos Conventuales omnimodæ subjectioni, correctioni, & obedientiæ Generalis, ac Provincialium Ministrotum in suis Provinciis respectivè, perpetuò juxta formam literarum, à Nobis in dicto Capitulo Generalissimo editarum subjectos esse: inhibendo tam Generali, quām Provincialibus Magistris, nē de dictis Fratribus Conventualibus, vel eorum domib⁹, & locis ul latentus, nisi quantum à Magistris, Generali, & Provincialibus illis fuerit concessum; se intromittant ullò modō. Qui quidem Ministri Generales, & Provinciales, ad omnimodam dictorum Conventuali reformationem, etiam per favores Regum, Principum, & comunitatum, infudare teneantur, bonis immobilibus dictorum Conventuum, per Generalem, & Provinciales Ministros (ut præfertur) reformandorum, pro una quarta Ecclesiæ Cathedrali, seu Dioecesis, in qua dicti Conventus siti fuerint: pro duabus vero in expeditionem Cruciatæ contrà infideles: pro reliqua alia quarta, partibus in reparationem dictorum Conventuum, ipso factō, quoad obedientiam dictorum Ministrorum reducti fuerint, pér eos applicatis. Ipsosque Fratres Conventuales, in Conventibus, & locis, pro quibus à prædictis Ministris, in suis Provinciis respectivè requisiti fuerint, ad omnium, & singulorum præmissorum executionem subeundam, per censuaras, & alia opportuna Juris remedia, appellatione postposita compellant. Invocatō etiam adhœ, si opus fuerit, auxiliō brachii Sæcularis. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus, ordinationibus, & Literis Apostolicis; etiam Mare magnum nuncupatis: nec non Conventuum, & locorum, & Ordinis, hujusmodi juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus: cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterum, quia difficile foret præsentes Literas ad singulas Provincias destinare, volumus, quod transumptis earum, manu Notari publici subscriptis, & alicuius Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillō munitis, ea proslus fides in judicio, & extra adhibetur, ac si præsentes Literæ exhibitæ forent. vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris; die 12. Aprilis. 1518. Pontificatus Nostri Anno sexto.

Has constitutiones felicis recordationis Leonis X. unâ cum aliis centum, & tredecim Bullis Pontificiis, in favorem Ordin. Minor. S. FRANCISCI Seraph. de Corpore Observantiae editis, confirmavit Benedictus XIII. in sua Bulla, quæ incipit. *Summe decet.* data Romæ apud S. Petrum Annò 1717. quintô Nonas Aprilis.

Et Annò seqv. 1728, die 21. Julii edidit Bullam, quæ incipit. *Qui pacem loquitur in Plebec suam.* In qua hæc formalia continentur. „Quoniam autem à mente nostra, & à proposito memoriae constitutionis, quæ incipit. *Singularis devotio,* prorsus alienum erat, ut Fratribus Minoribus Regularis Observantiae quidquam sui iuris, aut Possessionis erga Conventuales detraheremus, aut ipsis FF. Conventionalibus majorem antiquitatem aut aliam quamcunque prærogativam præ Observantibus concrederemus, motu pari, & scientia similibus discernimus, & declaramus, verba, & enunciationes, quæ antiquitatem, & prærogativas ejusmodi respiciunt nullius roboris, atque eō prorsus modō, ac si apposta non essent, de cætero habenda fore, & esse, immō pro totius præsatī Ordinis tranquilitate, & pace perpetuum silentium super hujusmodi controvērsia imponimus, & pro imposito haberi volumus, & mandamus. Ne quis denique Basilicam B. FRANCISCI Civitatis Assisiensis, ubi sacrum ejus Corpus requiescit, à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris variis Privilegiis auctam, ita supra cæteras ejusdem Ordinis Ecclesias verbis, aut scriptis extollat, & efferat, ut debitus honor, ac reverentia de- negetur Basilicæ Beatæ MARIE de Portiuncula extra muros ejusdem Urbis, in qua constat Seraphicum Patrem Institutum suum inchoasse; præcipinus, & mandamus, ut ambæ Basilicæ, diversis licet rationibus, Beatæ MARIE quidem propter Ordinis primordia, Assisiensis, verò propter sacrum Corpus Sanctissimi Institutoris, tanquam Ordinis Matricis ab omnibus Fratribus Minoribus agnoscantur, & observetur, prout Romani Pontifices Prædecessores nostri asseruerunt, & concederunt, &c. Datum Romæ Annò, & die, ut suprà.

Vñ dictæ Bullæ Unionis in Generalem Ministrum totius Ordinis per majora elegerunt Regulam purè tenentes præcedentem Vicarium Generalem Familiaæ Cismontanæ Observantium Christophorum Numanjum, seu Normanum Forliviensem, cui Pontifex extradi jussit Sigillum Ordinis illud, quō à S. Franciscj tempore Ministri Generales totius Ordinis semper utebantur, eumque brevi pōt creavit Cardinalem saeculae Romanæ Ecclesie, ac humiliter reluctantem etiam præceptō aderit ad reciendam hanc dignitatem.

Patres Conventuales à reliquo corpore segregati relicti sunt cæteroquin sub sua particuliari Congregatione tam in possessione præcedentis Conventuum Assisi, Patavii &c. &c. quam Privilegiorum Apostolicorum, uti etiam in suo nomine Conventionalium, sub suo Capite primus Magistri, nunc Ministri Generalis Conventionalium nuncupati.

Ab illo tempore mansit penes nostrum Generalem non interruptâ serie illimitatus titulus Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, cum præcedentia & Sigillo, sèpius sub Incentio XIII. in Capitulo Generali 1723. præsidente, publice enuntiatus, & per Constitutionem Benedicti XIII. de ri. Jul. 1728. recentissimè confirmatus. Vid. Gubern. Tom. 3. fol. 227. &c. & Tom. 2. fol. 706. ubi quoque invenies, qualiter idem Leo X. Observantibus Ordinem Annuntiarum subjecerit. Rexit Ecclesiam usque ad annum 1521.

IV. Hadrianus VI. seu Adrianus, juxta Bullarium Romanum Belga, ex Urbe Trajectensi. Olim Instructor Caroli V. Imperatoris, ad cuius instantiam S. Bennonem Ecclesie Misnensis in Saxonia Episcopum, Sanctorum fastis solenniter adscriptus. Erat hic Pontifex intra brevissimum tempus sui Regiminis potissimum occupatus, ut Fridericum Saxonie Ducem, per Breve Apostolicum verè paternum in Balario Tom. I. Constitutione 4. hujus Pontificis videndum, aliósque Principes Germaniae dehortaretur ab hæresi Lutheri. Ordinata saluberrimè à suo antecessore circa Religionem Seraphicam omnino fuit prosecutus. Rexit Ecclesiam usque ad annum 1523.

V. Clemens VII. Florentinus Italus, antea Julius de Medices, qui taetam in Franciscum Quinnonium ab Angelis Ministrum Generale posuit confidentiam, ut turbatâ bello universâ Italiam, eundem pro parte Pontificem inter & Cæsarem restituenda, Caduceatorem ad Carolum

Imperatorem sèpìus optato cum effectu destinaverit, quem tandem in præmium meritorum Cardinalium Collegio adscripsit.

Frates Regularis Observantiae pro utilitate Religionis Catholicæ indefesso labore (uti innuit Pontifex) se impendentes, omnibus Patriarchis, Archi-Episcopis, Episcopis, & reliquis Ecclesiæ Prælatis per Diploma apud Gubernatis Tom. II fol. 190. efficacissime recommendavit. Syndicis Apostolicis unâcum uxoribus & prolibus omnes gratias & favores, quibus gaudent ipsimet Fratres, elargitus est per Bullam in Bullario Tom. I. Constit. 19. reperiendam.

Insuper in favorem illorum, qui rigidorem vitam, & strictiorem in victu vestitu, aliisque observantiam anhelabant, valde gratiosam, ac strictioris Observantia approbativam anno 1532. edidit Bullam : In suprema & in Bullario Romano dicti Pontificis Tom. I Constit. 35. viden-dam.

Idem Summus Pontifex omnium Prinus approbavit anno 1528. & Paulus III. Successor ampliavit, ac confirmavit Congregationem Patrum Capucinorum, ab intio vitam Eremiticam ducere cipientium, seque in principio protectioni Patrum Conventualium subiicientium, à quorum Conventualium Magistro Generali etiam quoad confirmatione Superior eorum (pro tunc Vicarius Generalis intitulatus) depeñebat usque ad Tempora Pauli V. Ita clarissime eruitur ex Bullario Romano Tom. I. Constit. 21. Clementis VII. & Constitut. II, Pauli III. Re-xit Clemens VII. Ecclesiam usque ad annum 1534.

VI. Paulus III. Romanus, antea Alexander Farnesius, qui per Bullam in Bullario Tom. I. Constit. 33. dicti Pontificis Concilium Tridentinum anno 1542. ad compescendos magis Hæreticos Interanos, ac alios indixit, & nostrum Generalem Vincentium Lunellum Nuntium Apostolicum in gravissimis Christianæ Religionis causis ad Ferdinandum Romanorum Regem, Mariam Reginam, ac Proceres & Prælatos Germaniae destinavit, concedens facultatem absolvendi Hæreticos, ad gremium sanctæ Romanæ Ecclesiæ revertentes, non solum propriæ Personæ, sed & Fratribus suæ curæ commissis, ea in formalibus subjungens verba in laudem Franciscanorum existentium in Germania : Ubi Fratres Ordinis Minorum de Observantia nuncupatorum, tua curæ commissi, pro Catholica Fidei tuitione plurimùm laborarunt, & indies laborare

non cessant, multosque à Lutherana perfidia suā exemplari vitā, salubrīgā doctrinā, prout intelleximus, revocārunt, & revocant.

Eodem modo ad Galliæ & Lusitanie Reges altefatus Pontifex misit Joannem Calvum Regularis Observantie, ac præcedentis in Officio Successorem, ad pertractanda pro Concilii Tridentini faciliori expeditione negotia, in quo demum uterque deputatus fuerat Consultor Congregationis Theologorum; uti totum hoc fusiū apud Gubernatis Tom. I. fol 224. & fol. 227. &c. legi poterit.

Strictiorens Observantiam sub ipsa Recollectione sensim enascentem speciali prosecutus est amore, gravissimè præcipiens, ut Domus Recollectionis ubique erigantur. Observantibus prohibuit æquè ipse, ac Successor Sixtus V. Tcm. II. Bullarii Conſtit. 20. ejusdem, ne ad Patres Capucinos ſeſe conſerre valeant, ac finaliter interdixit mutuum utrinque iugium, prout omnia patent ex Bullis & Brevibus Pontificiis apud Gubernatis Tom. II. fol 345. n. 122. ac ſequentibus. Rexit Eccleſium usque ad annum 1549.

VII. Julius III. antea Joannes Maria de Monte S. Sabini Italus, qui nullum non movit lapidem, ut strictioris Observantie primordia ſimiorē stabilitatē acquirerent, ac majores progressus intra ipsum Observantie Corpus indies facerent. Et ut etiam quosdam ex Fratribus Regularis Observantie ad laxitatem sensim declinantes in viam perfectionis reduceret, ſalubria Statuta in duodecim Capita diſtincta, & apud Gubren. Tom. III. fol. 301. videnda, pro Cifmontana Familia publicari curavit, ac ſua authoritate confirmavit. Voluit præterea per Diploma Gùm ſicut accepimus. editum 1553. ac reperiendum apud Gubernatis Tom. I. fol. 231. ut Sorores tertii Ordinis, in communī viventes, more Monialium S. Claræ, perpetuæ Clauſuræ addicantur, Rexit Eccleſiam asque ad annum 1555.

VIII. Marcellus II. antea Cervinus Italus, qui nequidem compleatum in Papatu adimplens menſem obiit anno 1555.

IX. Paulus IV. Neapolitanus, antea Petrus Caraffa, quondam Archi-Episcopus Theatinus, qui Generalem nostrum Clementem de Monnilia tanti aſtimavit, ut eundem Cardinalium Cætui cooptaverit, postmodum inter primarios Purpuratos, qui ſacra Concilii Tridentini Decreta executioni mandari curarent, delectum, cui pariter ex Regulari Observ.

Observantia in hac ipsa dignitate Cardinalitia adjunxit Guilielmum Petrum Angulum, à se in Angliam destinatum Legatum à Latere.

Syndicu[m] Apostolicu[m] Martinianu[m] p[ro] R[egulari] Observantia confirmavit per Bullam *Ex Clementi in Bullario Romano Tom. I. Constit. 1.* dicti Pontificis invenientiam, & distinctos Commissarios Nationales pro Gallia, Germania, ac Hispania approbavit, uti videri poterit apud Gubernatis Tom. I. fol. 304. Pro majori solenitate Capituli Generalis Aquilani concessit Indulgentias plenarias cum potestate absolvendi confluentes Pœnitentes ab omnibus casibus, etiam Papæ reservatis, exceptis Bullæ Cænæ. Rexit Ecclesiam usque ad annum

1559.

X. Pius IV. Mediolanensis Italus, antea Joannes Angelus de Medices, qui sicut Paulus III. anno 1542. Concilium Tridentinum indexit, ac 1545. inchoavit, ita is anno 1563. illud complevit, & anno 1564. confirmavit, in multis operâ utens nostrî Generalis Francisci à Zamora, & Aloysii à Burgonovo, in Generalatu Successoris. Pro Fratrum & Monialium sanctiori gubernio, atque pro confirmatione Privilegiorum Ordinis, gravissimas edidit literas in Bullario nostri Emmanuelis Rodriguez videndas. Rexit Ecclesiam usque ad annum

1565.

XI. S. Pius V. Dominicanus Italus, antea Michaël de Ghislieri, sacratissimam Eucharistiam summa prosecutus veneratione, nostris per Bullam *Exponi Nobis &c.* clementissime concessit, ut extra Quadragesimam & Adventum singulis feriis quintis, non impeditis, de Fatio Corporis Christi Officium recitare valeamus Fratres Amadaos & Clares denuò proprium nomen reassumere volentes reduxit ad Bullam Unionis Leonis X. sub nomine communî Regularis Observantie. Voluit per Bullam *In junctum Nobis &c.* Tom. II. Bullarii Constit. 81. dicti Pontificis, ut in qualibet Provincia ad minus duæ Domus seu Conventus, in quibus Fratres arctiore vitam ducere solent, assignarentur. Tertiū Ordinem S. P. Francisci subjecit Ministro Generali Regularis Observantie per Bullam *Ea est Officii &c.* apud Gubern. Tom. II. fol. 852. videndam. Rexit Ecclesiam usque ad annum

1572.

XII. Gregorius XIII. Bononiensis Italus, antea Hugo Boncompagni, qui Calendarium Julianum decem jam diebus aberrans omni-

um

omnium primus correxit. Ordinem nostrum singulari benevolentia & protectione prosecutus est juxta publicum Testimonium totius Generalis Capituli Parisiensis ad annum 1579. apud Gubernatis Tom III. fol. 364. Præprimis autem cordi habebat strictiorem Observantiam, magis ac magis semper sub ipsa Regulari Observantia crescentem, prout patet ex Bulla: Cū illius vicem; in Bullario Romano Tom. II. Constit. 55. ejusdem Pontificis invenienda, vñ cuius, innixus Bullæ: In supremæ Clementis VII. superius jam allegatæ, præfatæ strictiori Observantie non solum confirmavit suas proprias Custodias, sed etiam dedit licentiam celebrandi ibidem distincta Capitula Custodialia, condendi Statuta propria, & præter Generalem Ministrum Regularis Observantie solos de ipsa strictiori Observantia admittendi pro Visitatoribus &c. &c.

Hæc Strictior cum Regulari Observantia in viculo Seraphico coadunata, per modò dictas Bullas à Clemente VII. approbata, & à Gregorio XIII. distinctijs confirmata, gloriatur speciali Protectore & Propagatore &c. S. Petro de Alcantara, sicut Regularis Observantia S. Bernardino, ac Testibus iisdem Pontificibus in allegatis Bullis profine suo habet servare Regulam strictè ad mentem Declarationum Nicolai III. & Clementis V. de cuius augmento adhuc sapienter recurret mentio. Rexit Gregorius XIII. Ecclesiam usque ad annum 1585.

XIII. Sixtus V. ex Ordine Minorum S. Francisci Conventualium, natione Picænus Italus, antea Felix Perettus de monte Alto. Hic omnium primus Archiconfraternitatem Chordigerorum S. P. Francisci instituit, Festum Antonii Paduani ubique terrarum sub duplice celebri præcepit, S. Bonaventuram solenissimè Catologo Ecclesiæ Doctorum, & B. Didacum Laicum Hispanum Regularis Observantiae, fastis Sanctorum adscriptis, prout cuncta inveniri poterunt in Bullis Tom. II. Bullarii Romani Constit. 13. 18. 76. & 82.

Cū nostra Seraphica Religio eò etiam in Indiis fese dilatasset, ut tempore Sixti V. jam undecim Provincias, ac duas Custodias ibidem numerasset, deputatō propriō Indiarum Commissariō Generali, quatenus magis concreditis sibi invigilare queat, per speciale Diploma: Cū ad regendos Fratres &c. apud Gubernatis Tom. I. fol. 287. clementissimè concessit, ut in omnibus Capitulis & Congregationibus Generalibus

bus comparens vocem activam & passivam habeat. Rexit Ecclesiam usque ad annum

1590.

XIV. *Urbanus VII.* Romanus, antea Joannes Baptista Castaneus, qui duodecim tantum dies vixit in Pontificatu mortuus est eodem anno

1590.

XV. *Gregorius XIV.* Mediolanensis Italus, antea Nicolaus Sforzati, qui, et si non ultra decem menses & totidem dies Gubernium suum extenderit, solicitam tamen pro nostris in *Indiis* existentibus, feliciter dirigendis, curam gessit in Bulla *e Religiosorum quorumcunque &c.* apud *Gubernatis Tom. I. fol. 292.* Rexit Ecclesiam usque ad annum

1591.

XVI. *Innocentius IX.* Bononiensis Italus, antea Joannes Antonius Fachinetti, dum vix duobos mensibus sedit in folio Pontificio, à morte abreptus in tumulum, id est, eodem anno

1591.

XVII. *Clemens VIII.* Florentinus Italus, antea Hippolitus Aldobrandini, zelantissimus pro omnium Ordinum Reformatione, ac tollendis laxitatibus & abusibus, si alicubi irrepissent. Sub ejusdem regimine stricior Observantia adeò undequaque dilatari cœpit, ut jam illo tempore teste *Gubernatis Tom. II. fol. 353 n. 140* considerabile membrum in Corpore Seraphico constituerit; Favorabilem pro eadem Constitutionem *Gregorii XIII.* confirmavit, & declaravit per novam Bullam *e Pro injuncti nobis &c. in Bullario Tom. III. Constitut. 45. dicti Pontificis,* eorumque directioni Regium Monasterium S. Claræ Neapoli commisit.

Pro Provincii *Indiarum Regularis Observantiae* speciale Diploma in ipsarum utilitatem edidit Tom. *III. Bullarii Constitut. 67. Franciscū Gonzagam, & Boraventuram Catalagryonem* ambos Generales Ordinis destinavit Nuntios Apostolicos ad componendam pacem Gallum inter & Hispanum. Rexit Ecclesiam usque ad annum

1605.



QUÆRITUR II.

*Quinam fuerint Generales in quarto Ordinis
Sæculo? Respondeo sequentes.*

I. *Ægidius Delphinus ab Ameria*, qui (licet alii non adeo laudabiliiter de ipso scribant) nihilominus per suos labores non solum apud suos, verum apud duos quoque Pontifices, sibi ad invicem succedentes, ac apud Reges & Principes saepius contestabatur, si aliud exinde non querere, quam perfectam totius Seraphicæ Religionis, depictis ubique specialibus exemptionibus, unionem in vera sacra Regula Observatione; ast non eam ubique, etiam apud Observantes, inventar confidentiam, qualem optaverat, quamvis hisce facere videretur, constituendo quoque in Provinceis Conventualium Ministros Provinciales, & Custodes ex Familia Observantium, vel Coletanorum, seu similium Zelatorum Regulæ puritatis; Videns vero se neque per hoc medium in Generalissimo Capitulo Romæ anno 1506. ex eo fine, uti aiebat, convocato, ad praetensum intentum pervenire posse, resignavit Generalatum, & apud Observantes Cœnobii S. Mariæ Magdalenæ, ad quos infirmitate correptus declinaverat, è vivis decessit, postquam Ordinem gubernavit usque ad annum 1506.

II. *Raynaldus Gratianus e Contignola*, Romandiolæ oppido, Vir doctus, plurimùm favens Conventualib[us] suis, quibus multas Domos, ab Antecessore ad gubernium Zelatorum Regulæ translatas, restituit. Fuit à Julio II. destinatus Legatus in Hispaniam, ac demum creatus Archi-Episcopus Ragusinus. Gubernavit Ordinem usque ad annum 1510.

III. *Philippus Bagni Cabellensis*, Philosophus & Theologus eximius, ac quondam Delphini socius: Vir equidem magnæ spei, quam mors præmatura abscedit; ad finem enim anni 1511. die 10. Septembri ab ardua Fidei negotia pertractanda Romanam vocatus, magnò Ordinis dispendio, & bonorum (ut inquit *Gubernatis in Ejus vita*) dolore è vivis ibidem decessit. Gubernavit Ordinem ferme usque annum 1512.

Bernardinus Pratus, Pedemontanus, antea in Basilica S. Petri Papæ Pœnitentiarius. Hic fuit ultimus Observantium simul ac Conventualium Minister Generalis, sub quo, dum Conventuales in Capitulo Generalissimo ex iussu Leonis X. Romæ celebrato, suis Privilegiis Apostolicis renuntiare noluissent, translatus est Titulus Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum in Observantes, & Bernardinus Pratus, Authoritate Pontificia, Conventualium Magister Generalis vocatus. Gubernavit totum Ordinem usque ad annum 1517.

V. Christophorus Forstvienensis ex Regulari Observantia omnium primus totius Ordinis FF. Minorum Minister Generalis, de trinæ excellētia, Generis nobilitate, vitæ probitate, omnique Virtute conspicuus, ac brevi post electionem, Cardinalis à Leone X. creatus, de quo plura vide sub dicto Pontifice, Gubernavit Ordinem usque ad annum 1518.

VI. Franciscus Lichetus de Brixia, Vir zelosissimus, præ omnibus invigilans, ut omnia ad nuperae unionis formam, & Regularis Observantiae rigorem conformia executioni mandarentur juxta voluntatē Leonis X. in Bulla Unionis; ex quo fine plures, etiam valde dissicas, indefesso labore perlustravit Provincias, & ubi non potuit personaliter esse præsens, præ cæteris strictissimos Observantiae Professores loco sui selegit Visitatores. Item illis, qui sub rigidiori Regulæ Observantia vitam ducere voluerunt, aliquot parvos & solitarios Conventus ad hunc finem concessit.

Fundatissima ejusdem scientia, maximè in litera & sententia Scotti, elucet ex suis Libris ac Commentariis toto orbe notis. Parisios profectus multa sancte ordinavit circa studia, regimen Studentium, & Lecturam textū Scotti: cùmque ibidem ob gloriosissimè defensum Mysterium Immaculatae Conceptionis obtinuerit Scotus Titulum Doctoris subtilis, decrevit, ut ex singulis regionibus Franciscani Studiosi illuc mitterentur, tam in scientia, quam Regulari Disciplina instruendi, quorum numerus ad Ducentos & Septuaginta se extendebat. Lutheri libros & scripta, in sua præsentia comburi jussit, præcipiens singulis Verbi Dei præconibus, ut viriliter huic Hæresiarchæ, ejusque affæclis se opponant.

Plura laudabilissima de hoc Generali, contra aliquos male informates

matos, vide apud *Gubernatis Tom. I. fol. 200.* & sequentibus. Resxit Ordinem usque ad suum obitum, id est, usque ad annum 1520.

VII. *Paulus Soncinas*, Mediolanensis, anteà in Vicarium Generalem electus, ipso Summo Pontifice Leone X. præsidente, ac vota colligente. Sub hoc Generali in primo Capitulo saluberrimè ordinatum fuit, ut *Lutheri*, ejusque asseclis omnibus modis in pulpitis tam Theologicis, quam Ecclesiasticis resistatur, etiam usque ad effusionem sanguinis, & ad hunc finem quotidie in omnibus Horis post *Salve Regina* adiiciatur: *Gaudet MARIA Virgo, cunctas heresef sola interemisti in universo mundo cum Orationibus Gratiam &c. & Ecclesiam &c.* Nec integrum complevit triennium sub itinere ad novum Capitulum mortuus anno 1523.

VIII. *Franciscus Guinnonius*, Hispanus, sanguine illustris, moribus & scientia longè excellentior, qui omnem movit lapidem, ut sub suo gubernio sacra Religio in purissima Regulæ Observantia manuteneretur. Vocatur communiter *Franciscus de Angelis*, eò quod tantam erga sanctos Angelos habuerit devotionem, ut existens Superior *Custodie Angelorum*, Conventum S. MARIE Angelorum, unacum Ecclesia in cineres redactum, de novo exixerit, & intra hortorum septa quatuor Eremitoria sanctis Angelis Michaeli, Gabrieli, Raphaeli, & S. Angelo Custodi fecerit aedificari, in quibus quatuor Fratres alternis hebdomadibus per vices, pane tantum & aqua contenti, ac perpetuæ Orationi vacantes vitam duxerunt verè Angelicam.

Domum *Recollectionis*, ubi sub sacra Regula rigidius vivitur, atque Missionum ad Indias Protector maximus & Propagator fuit cum indicibili animarum fructu. Tyronum educationi certam vitæ formam, existentibus in Domibus *Recollectionis* quasdam austeras Regulas, nec non Monialibus B. Virginis Immaculata novas Constitutiones mira prudenter prescripsit. *Gubren. Tomi. 2. fol. 484. n. 69. & fol. 705. n. 272. Tom. 3. fol. 262.* Humilitati, patientiæ, & Orationi singularissimè addictus, Horas Canonicas semper genu flexus recitavit: Paupertatis amator præcipuus, Provincias ferè semper pedestri itinere visitavit: Legatus Pontificius in Hispanias & Germaniam saepius destinatus, plura eximia bona Ecclesiæ Catholicæ contulit, dénum sacrâ donatus Purpurâ, ac totius Ordinis Protector à Papa constitutus, Paucis: Vir erat

erat tantus ac talis, cui post S. Bonaventuram vix parem in Religionem invenies. Rexit Ordinem usque ad annum 1529.

IX. *Paulus alias Joannes Pisottus* Parmensis Italus, qui à Pontifice obtinuit, ut Electio Generalis fiat deinceps, mutatis ad invicem vicibus, ab unica Familia tantum, alterā semper compromittente: verū quia iste eligendi modus, partim contra Bullam *Unionis*, partim etiam saltem contra strictissimam literam sacræ Regulæ, Electionem Provincialibus Ministris indistinctim adscribentis, esse videretur Zelosis, in effectu nil evenit, prout apud *Wad.* & *Gubernatis* Tom: I. fol. 217, n. 3. ac seq. legi poterit.

Fuit hic Generalis zelō longè inferior suo antecessore, nec amator Domum *Recollectionis*, & exinde Zelosis non paucis occasiis segregandi se à Corpore. Propter hæc, & propter continuam infirmitatem potestas ejusdem per Bullam *Clementis VII.* à *Gubernatis* Tom. I. fol. 220. allegatam fuit adeò limita, ut vix aliud amplius præter nomen Generalis retinuerit. Quare ultro se abdicavit Generalatu, acceptante libentissimè Summo Pontifice, & novum Vicarium Generalem usque ad futurum Capitulum approbante. Rexit Ordinem ferme usque ad finem anni 1535.

X. *Vincentius Lunelli* ex Aragonia, nunc Regi Hispaniarum subiecta, Vir specialiter laudatus ex singulari rerum agendarum prudentia, qui neutquam *Paulum Pisottum*, sed potius Prædecessores suos *Lichetū*, ac *Guinnonium* secutus, Domum *Recollectionis* æquè ac *strictioris Observantie* progressus, nec non Decreta *Clementis VII.* & *Pauli III.* de super facta, omni possibili modo promovere studuit. Pro conversione Infidelium *Indie Occidentalis*, sive *America* indefessè laboravit. Magnos honores sibi pluries & instantius à Pontifice oblatos constanti humilitate recusavit.

Demum, præter alias graves pro Ecclesia Catholica Legationes, Consultor Congregationis Theologorum ad Concilium Tridentinum missus, ibidem diem supremum clausit, ab Eminentissimo Cardinali *Paceo* coram Patribus insigni hoc Encomio parentatus: *Defecit hodie in Concilio Vir ex insignioribus ejus,* Gubernavit Ordinem usque ad annum 1541.

XI. *Joannes Calvius* ex Insula Corsica, Vir doctrinæ, zelō Ser-

Seraphicō, pietate, reliquis Virtutibus, nec non in Legationibus Pontificiis Prædecessori suo per omnia æqualis. Author fuit *Montis Pietatis* contra excessivas usuras Romæ electi: Consultor declaratus Theologorum Concilii Tridentini, de Justificatione, de Justitia imputativa, ac de gratia docte & copiosè ibidem disputavit, eoque in sensu, ad literam Scoti, conclusit, quem ipsa postmodum sacra Synodus definit: mortuus sub ipso Concilio, ac maximo Synodalium Patrum concursu in Ecclesia sancti Bernardini ibidem supultus. Gubernavit Ordinem usque ad annum

1547.

XII. *Andreas Insulanus* ex Algarbia, Portugalliae Provincia, Illustris genere, affabilis, prudens, & pius, hincque à Regibus Hispania, Gallia & Lusitania in paucis dilectus. Ad instantiam Regis Lusitaniae aliquot zelosos Fratres ad Indias Orientales destinavit, qui quinquaginta circiter millia *Mallaberorum* converterunt. In primario Conventu Recollectionis, *S. Maria de Insula dicto*, fundamenta Seraphici sui zeli posuit, ac singularis fautor Domuum Recollectionis & Regularis Disciplinæ extiit. Rexit Ordinem usque ad annum

1553.

XII. *Clemens Dolera de Monilla*, in Philosophicis æquè ac Theologicis studiis excellens, quæ tamen omnia cum singulari pietate & servore non aliter quam ad Apostolicæ Sedis dignitatem tuendam, ad salutem animarum procurandam, & ad eradicandas, ubi contra Regulæ in Religione irruperant, laxitates sedulò impedit; hinc statim ab Electione dispersa Statuta Generalia, plena Spiritus Seraphici, in duodecim Capitula juxta Regulæ tenorem coordinata, distribui curavit & observari, apud Gubernatis Tom. III. fol. 302. & in Chronologia Historico. Legali Mithaelis Angeli à Neapoli fol. 282. reperienda. Intra Generalatum creatus Cardinalis, in tanta erat autoritate, ut reste Gubernatis Tom. I. fol. 229. n. 2. fuerit renunciatus Germaniaæ Protector. Gubernavit Ordinem usque ad annum

1557.

XIV. *Franciscus de Zamora*, nobilis Hispanus, aspectu Venerabilis, in actionibus suis humilis, juncta tamen aliqua Religiosa gravitate in scientiis profundus, tantisque Panegyrista, ut coram Summo Pontifice, nec non in Concilio Tridentino publicas haberit Orationes, quas Docti voluerent typis impressas. Tollendis abusibus, contra S. Regulam sicubi introductis, accuratissimè invigilavit,

Pestis

Pestiferæ Doctrinæ, quam Fautores quidam *Michælis Baij*, aliique spargere non verebantur, pro viribus restitit, Suis, etiam ante Fulmen Apostolicum à *Pio V.* in tales malevolos latum, sub excommunicatione latæ sententiaæ ac pœna carceris inhibendo, ne ullatenus similes propositiones publice vel privatim docere præsumant.

A *Philippo II.* Hispaniarum Monarcha ad ardua negotia vocatus, eadem mira celeritate, & maximâ Prudentiæ gloriâ expeditiv, nec tam per suaderi à Rege potuit, ut aliquem ex pluribus Episcopatibus primariis, sibi sæpius oblati, reciperet. Rexit Ordinem usque ad annum 1565.

XV. *Aloysius Putens*, Lombardus Italus, à prudentia, sanctæ Regulæ Observantia, aliisque virtutibus longè conspicuus, jam ante Generalatum in Theologum Concilii Tridentini deputatus. Absolutô sexenniô sui Generalatûs, anterioris vitæ normam aggressus, Vigiliis, Jejuniis, & reliquis ad præfectionem Religiosam conducentibus Exercitiis ex toto se applicavit, veræ humilitatis & patientiæ Posteris exemplum relinquens. Gubernavit Ordinem usque ad annum 1571.

XVI. *Christophorus de Capite Fontium*, Gallus, qui Religionem summâ vigilantiâ & exemplaritate visitavit, aberrantes ad perfectam Regulæ Observantiam reducere allaboravit, atque hinc Puncta quædā adnotavit ad singulos Provinciales transmissa, ut in quolibet Conventu quater in anno legantur: insuper ex eodem fine librum quemdam *Manipulus Fratrum Minorum* intitulatum eti curavit, in quo continetur medulla illorum, quæ ad sanctæ Observantiae puritatem, vitæque pietatem spectant.

Extant & alia plura ejus opera (ut in formalibus loquitur *Wad. de Script. Ord. f. 90.*) passim Parisiis, Lugduni, Coloniæ edita. Charsus quoque fuit *Gregorio XIII.* & *Sixto V.* sed & tribulationes, laborés que passus est ob peregrinas quasdam exuberantis Ingenii opiniones, unde & in Catalogo expurgandorum librorum aliquot ejus opera sunt expuncta. Fuit demum à *Gregorio XIII.* ob zeli, Doctrinæque præstantiam Archi-Episcopus Cæsariensis denominatus. Rexit Ordinem octo annis, id est, usque ad annum 1579.

XVII. *Franciscus Gonzaga*, Mantuanus Italus, ex Serenissimo Principum & Ducum Mantuanorum sanguine natus, cuius eximiam scien-

scientiam abunde ostendit ille *Chronicorum Liber* à se in Generalatu conscriptus, ac *Sixto V.* Pontifici post debita Pedum oscula humillimè oblatus; pietatem verò insignem efficaciter probat Processus de virtutibus ejusdem ac miraculis ad futuram Canonizationem actualiter jam confessus. Explicari facilè non potest, quo zelo, qua solicitudine pro subditorum suorum salute, & literali sacræ Regulæ Observantia suo in regimine ad laboraverit. Paupertatis Seraphicæ tantus Amator fuit, ut Oratori Proregis Arragoniæ, Patrui sui, aliquando à Preoge ad nostrum Franciscum misso, ut de necessitatibus ejus inquireret, responde-re non dubitaverit, *se acu, filo, & petiis ad Tunicam repetiandam, nul-laque alio indigere.*

Ardor procurandæ omnium salutis se ad remotissimas quoque Gen-tes extendit: hinc Fratres viginti ad *Japonica*, & tredecim ad *Chinen-sia* Regna, auditio suorum ibi jam præexistentium fructu, destinavit, datis pro majori animarum conversione, & Prædicationis efficacia, In-structionibus vere Apostolicis. Mortificationi carnis adeò fuerat addictus, ut ipse summus Pontifex in virtute sanctæ obedientiæ ejdem præce-perit mitigationem hujus rigoris, quatenus pro ingenti Ecclesiæ, ac Re-ligionis utilitate vitam suam diutius conservare posset.

Profundissima suæ humilitas etiā absoluto Generalatu non erubuit Conventum verrere, utensilia Coquinæ abluere, panem ostiatim emen-dicare, ac infirmorum curæ, præsertim in vilioribus Exeriiis, deservire; ex qua pariter virtute plures Achi-Episcopales & Episcopales Insulas, sibi certatim oblatas, recusavit. Finaliter tamen evocatus ad regen-dam Mantuanam Ecclesiam, in qua maximam curam adhibuit, ut omnia juxta præscripta sacri Concilii Tridentini exactè reformarentur. Gubernavit Ordinem pariter octo annis, id est, usque ad an. 1587.

XVIII. *Franciscus de Tolosa Hispanus*, qui puritatis amantissimus in vita Regulari, statim post electionem singulariter ad hoc incubuit, ut juxta literalem Regulæ rigorem Fratres omnes vitam immaculato calle traducerent. Ex eodem motivo, finitò Capitulò, ad visitandas Pro-vincias indefesso labore, & (uti testatur in terminis *Gubernatis*. Tom. I. fol. 240. n. 2.) magna exemplaritate se contulit. Completò officio Ge-neralatûs sui, ad sanctam se solitudinem recepit; brevi tamen à Rege Catholico Philippo II. redire coactus, factus Episcopus Tyensis in Ga-litia.

litia. Rexit Ordinem usque ad annum

1593.

XIX. Bonaventura Secusius à Catalogyrone Italus, Vir magnus, & à Clemente VIII. Pontifice plurimi æstimatus, qui omnes impedit vires, ut non solum aliquas Provincias, ad laxitatem & abusus declinantes, posset reformatre, veram etiam omnes reliquas in pura Regulæ Observantia, & perfecta Regularis inter & strictioris Observantiae Zelatores harmoniâ conservare. Sub eodem pro Familia Cimontana publicata fuere ex hoc fine Statuta Vallisletana.

Plurimum contribuit, teste Gubernatis Tom. I. fol. 241. functus munere Nuntii Apostolici ad pacem Hispanum inter & Gallum conclusam, idéoque à Papa repetitis vicibus destinatus in Galliam, ut pacem Gallum inter & Sabaudum pari felicitate componeret. Demum declaratus erat à Summo Pontifice Patriarcha Constantinopolitanus, Archiepiscopus Messanensis, & Episcopus Catanensis. Ordinem Gubernavit usque ad annum

1600.

QUÆRITUR III.

Quænam fuerint habita Capitula Generalia quartō Sæculo Ordinis?

PRænotandum, quod Leo X. per Bullam *Unionis* anno 1517. emanata præceperit, ut deinceps, non singulis trienniis, sed quolibet tantummodo sexennio (nisi auctoritate Pontificia ob graves causas hoo tempus abbrevietur aut prolongetur) Capitulum Generale celebretur, ultra quod tempus pariter non duret officium ipsius Generalis. Evidem S. Pius V. durationem Generalis ad octo annos extendit; prout tanto tempore perfliterunt in officio *Christophorus de Capite Fontium*, & *Franciscus Gonzaga*, *Sixtus V.* verò rursus ad sexennium conformiter Bullæ *Unionis* illud reduxit; quod tempus sexennale adverto ex dicendis primò initium habuisse ab anno 1523. à quo tempore usque ad annum 1529. non habebatur Capitulum Generale. Hoc notato.

Respondeo, Capitula Generalia hoc quarto saeculo Ordinis fuisse sequentia:

I. Tre-

- I. Trecis. in Gallia sub Generali Delphino anno 1503.
Observantes Cismontani suam specialem Congregationem instituerunt Mantua, & in suum Vicarium Generalem elegerunt Franciscum Zenum, de Mediolano 1505.
- II. Romæ sub eodem Generali Delphino, ubi ad quatuor millia Fratrum convenerant; quia Generalis Pontifici persuasit, felicem nunc fore perfectam unionem Observantes inter & Conventuales; verum eventus aliud ostendit, unde ipso resignante electus est Raynaldus Gratianus. Anno 1506.
- Observantes speciatim convenerunt Portiunculæ prope Assisium relecto in Vicarium Generalem Hieronymo Torniello anno 1507.
- III. Romæ, electo Ministro Generali Philippo Bognacabellensi anno 1510.
- Observantes sua Comitia specialia jam an. 1509. coegerunt Ferrare, in quibus Francisco Zeno denuo regimen supra suam Familiam consignarunt.
- IV. Assisi in Umbria, electo Ministrō Generali Bernardino Prato de Cherio anno 1513.
- Observantes ad suum speciale Capitulum convocati fuerunt Neapolim, ubi Timotheum Lucensem elegerunt in Vicarium Generalem anno 1512.
- V. Cherij in Italia sub precedenti Generali Bernardino de Chieso anno 1516.
- Observantes anno 1554. sese congregarunt Portiunculæ prope Assisium, eligentes Vicarium Generalem Christophorum de Forlivio, qui fuit ultimus Vicarius Generalis Observantium, quoniam postea Generalatus ipsemet in eisdem fuit translatus, sicque particulares eorum Congregationes cessarunt.
- VI. Romæ, in quo Generalissimo Capitulo Conventuales à suis Apostolicis Privilegijs recedere nolentes, authoritate Leonis X. Pontificis à reliquo corpore sejuncti, & in unam particularem Congregationem coadunati sunt: E contrâ in Ministrum Generalem totius Ordinis electus fuit Christophorus de Forlivio ex regulari Observantia primus. Plura de hoc vide sub Leone X. & apud Gubernatis Tom. III. fol. 227. &c. ubi pariter fol. 229. & 233. invenies duas illas præclaras Bullas.

Unionis & Concordia. Celebratum erat hoc Capitulum Generale præ omnibus memorabile anno 1517.

VII. Lugduni in Gallia, ubi Christophoro Forliviensi creato Cardinali in Successorem Ministerij Generalis electus fuit Franciscus Lichetus anno 1518.

VIII. Carpi in Italia, in quo Capitulo, demortuo Generali Licheto sub actuali visitatione Germaniae, in Generalatu successit Paulus de Soncino anno. 1521.

IX. Burgis in Hispania, electo in Ministrum Generalem Francisco de Angelis, postea Cardinali anno 1523.

X. Parmæ in Italia, electo in Ministrum Generalem Paulo Pifotto anno 1529.

XI. Niciz in Italia, in Generalem Ministrum electo Vincentio Lunelli anno 1535.

XII. Mantuæ in Italia, electo Ministro Generali Joanne Calvio anno 1541.

XIII. Assisi in Umbria, in Ministrum Generalem assumptio Andrea Insulano anno 1547.

XIV. Salmanticæ in Hispania, electo in Generalem Clemente de Dolera, postea Cardinali anno 1553.

XV. Aquilæ in Italia, electo in Ministrum Generalem Francisco Zamora, anno 1559.

XVI. Vallisoleti in Hispania, ad Generalatum electo Aloysio Puteo anno 1565.

XVII. Romæ, Generali Neo-electo Christophoro de Capite Fontium anno 1571.

XVIII. Parisiis in Gallia, ubi, octenniò juxta Bullam S. Pij V. per Christophorum de Capite Fontium in Generalatu absolutò, successit Franciscus Gonzaga Ducali sanguine anno 1579.

XIX. Romæ, ubi, postquam & Franciscus Gonzaga octo quoq; annos in Ministeriatu complevit, alius Franciscus, à Tolosa nimirum, denuo Generalatum sub Sexennio ex Ordinatione Sixti V. incæpit, anno 1587.

XX. Vallisoleti in Hispania, electo Ministro Generali Bonaventura à Catalagyrone anno 1593.

XXI.

XXI Romæ in Generalem Ministrum electo Francisco à Sosa, de quo seculo sequenti sub *Quæsto II. de Generalibus Ministris* plura. Interim notandum hic venit, quod Prædecessor Bonaventura à Catalogyrone ex speciali dispositione Summi Pontificis per septennium dura-
verit, hinc Sosæ electio primum instituta fuit anno 1609-

QUÆRITUR IV.

*An Seraphica Religio, quartô Ordinis Sæ-
culô adhuc manferit sub uno Capite, ac sub eodem ser-
vaverit literaliter Regulam absque aliqua dispensa-
tione Apostolica?*

ET si resolutio hujus ex prioribus tribus Quæstis facilè erui possit; ut tamen dicta præcedentia per aliquam reflexionem, ac simul status Seraphici Ordinis, quoad quartum suum sæculum, in succinto compendio ante oculos ponantur hinc.

Notandum imd. Ad initium hujus sæculi quarti Ordinis nostri (id est anno 1500.) Egidium Delphinum fuisse electum Generalem, qui nulli, saltem apparenter, pepercit labori, ut major Unio *Observantes* inter & *Conventuales* introducatur, in quem finem etiam autoritate nixus Apostolica Julii II. Pontificis, convocavit Capitulum Generalissimum, ast sine optato effectu, *Conventualib[us]* persistentib[us] in suis Priviligijs Apostolicis, E contra *Observantib[us]*, qui numero Fratrum & Conventuum indies crescebant, eadem recipere renuentib[us].

Notandum add. Post mortem Julij II. Papæ Successorem ejusdem Leonem X. denuo anno 1517. eandem Unionem tentasse, citando repetitò ad Comitia Generalia omnes Capitulares, sub Vexillo Seraphico militantes, & quia ad Authenticam præviam interrogationem præsentes Patres *Conventuales* iteratò responderunt, se velle in suis Priviligijs Apostolicis legitimè obtentis persistere, eosdem à reliquo corpo re sejunxit, econtra verò omnes alios Regulam literaliter & purè servare cupientes (sive fuerint de *Regulari Observantia*, sive *Claren[ia]*, aut *Cale-*

Coletani, seu Amadai &c.) in unum coadunavit, & quidem sub nomine *Regularis Observantia*, omnibus aliis nominibus dimissis, præcipiendo, ut aliquem ex suis eligant, qui sit *Minister Generalis totius Ordinis*, prout totum patet ex celeberrimis duabus Bullis *Unionis & Concordia communiter appellatis*, & supra allegatis.

Notandum tertio. Ut in hoc ipso corpore modò superiùs dictò, per *Leorem X.* coadunatò, primus servos *S.S. Bernardini, Capistrani & Jacobi de Marchia*, successivè in suo vigore conservaretur, Zelosi Generales curarunt erigi plures *Domos Recollectionis*, in quibus rigidioris Discipline Amatores ad aliorum exemplum collocarentur. Insuper de novo, partim ex nonnullis harum Domum *Recollectionis* partim aliud e austerioris virtute cupidi quidam prodierunt *Observantes*, jam anno 1518. & 1519. coruscare incipientes, anno vero 1525. stabile principium poscentes.

Hi Bullis Pontificiis, præsertim *Clementis VII.* de anno 1532. distinctas Custodias, ac demum separatas Provincias, quin imò aliquando etiam suum proprium Vicarium Generalem obtinuerunt, sub uno quidem, eodemque cum *Regulari Observantia Generali*, sed sub rigidiiori vivendi methodo; hincque communi nomine de strictiori *Observantia punctati*, ad distinctionem aliorum de *Regulari Observantia*. Vid. præter jam dicta *Mich. Angel. de Neapol.* ad 49. *Capitul. Generale*. fol. 241 *Gubern. Tom. I.* fol. 200. n. 4. 5 & *Tom. 2.* fol. 340. n. 103. &c. *March. p. 2.* fol. 244. &c.

Notandum 4to. Hos ipsos de strictiori *Observantia* communites appellatos, juxta diversitatem Nationum, diversa quoque sortiti nomina: nam apud Icalos, & magnam partem Germaniae superioris, seu quoad Provincias Germaniae superioris, spectantes ad Familiam *Cismon-sayanam*, vocantur *Reformati*, apud Hispanos *Discalceati* apud Gallos vero *Belgas*, & residuam partem Germaniae superioris, pertinentem ad Familiam *Ultramontanam* (quales sunt Provincia *Argentina Colonicensis*, *Saxonica S. Crucis*, & *Thuringiana*) dicuntur. *Recollecti*.

Pro quo tamen ultimo nomine *Recollectorum* ad tollendam omnem equivocationem ulterius.

Notandum 3to. Alios esse illos *Recollectos*, qui præter *Discalceatos* sic nominantur in *Hispania*, & alios sic dictos in *Gallia & Germania*

inferiori, & ex parte *superiori*; nam in *Hispania* ipsimet de Corpore Regulatis Observantiae dicuntur *Recollecti* illi, qui ex ipsis Observantibus sub eadem Provincia, & sub Provinciali Regularis Observantiae habitant in Domibus *Recollectionis* à se constitutis, non volentes exinde aliquam ab illa Provincia Regularis Observantiae separationem. Tales fuerunt *Franciscus Ximenes* Cardinalis, *S. Franciscus Solanus* &c.

Recollecti verò in *Gallia*, *Germania* *inferiori*, ac ex parte *superiori* vocantur illi, qui tenent etiam per Bullas Pontificias distinctas & separatas ab *Observantibus Custodias* atque *Provincias*, uti etiam proprios *Custodes* & *Provinciales*, nec non rigidorem vivendi methodum, sive defacto sive ac *Reformati* & *Discalceati* annumerantur in Capitulis Generalibus *strictiori Observantia* in communi, sub uno tamen, eodemque cum *Regulari Observantia* supremo Superiori, seu Generali, qui modò ex hac, modò ex illa eligitur juxta pluralitatem & majoritatem Votorum. His bene Notatis.

Respondeo 1. Usque ad annum decimum septimum quarti saeculi Ordinis, permanxit Seraphica Religio integra sub uno, eodemque Capite, sub quo saltē respectivè, maxima pars (in specie illi de *Regulari Observantia* item ex *Communitatis Amadei, Clareni & Coletani* &c.) sacram Regulam servarunt ad literam, absque aliqua dispensatione Apostolica. Ita totum pater ex praecedentibus tribus Quesitis. Circa *Couventuales* autem usque ad annum 1517. in uno, eodemque Corporate adhuc existentes erit pro illo tempore discurrendum, uti saeculo praecedenti, quorum Lector remittitur.

Respondeo 2dō. Post annum decimum septimum hujus saeculi titulus *Generalis* totius *Ordinis Minorum* juxta Bullas *Unionis & Concordie Leonis X.* superius in descriptione dicti Pontificis citatas, translatus fuit in aliquem ex Corpore literaliter absque dispensatione Apostolica sacram Regulam Observante, atque manutenetur præfatus illimitatus titulus *Generalis Ministrorum* totius *Ordinis Minorum* à Successoribus continuò ex repetitis declarationibus Pontificiis apud *Gubernatis Tom. I. lib. 3. cap. 10. fol. 89.* videndis. Sub hoc primario & in titulato totius Seraphici Ordinis Generali existit *Regularis & strictior Observantia* absque aliqua dispensatione Apostolica in sacra Regula; & quamvis negari haud queat, sub tanta multitudine, & sub tot strictissimis præceptis hinc in-

de nonnullas successivè irrepsisse laxitates (& ubinam vinum tam generosum, quod suas non habeat fæces ?) his tamen non solum strictoris Observantia Professi, verùm etiam Zelosi ex Regulari Observantia unà cum Summis Pontificibus semper restiterunt, sacram Regulam literaliter observare cupientes.

Rememoremus vel solos Generales sub nomine Francisci hoc sæculo existentes. O quanti fuerunt isti Zelatores, ac veri Seraphici Patris Francisci nomine & re Sectatores: Puta *Franciscus Lichetus*, *Franciscus Quinonius*, *Franciscus de Zamora*, *Franciscus Gonzaga*, & *Franciscus de Tolosa* ! quām solerter invigilarunt Capitula Generalia apud *Gubern.* T. III. & IV. reperienda, ne aliquod Privilegium dispensativum reciperetur in Ordine ! quantas præcautiones contra abusus & laxitates fecerunt Sunti Pontifices, foventes semper magis eos, qui rigidius sacram Regulam observare conabantur, uti cuncta ex *Quaestio I. & II.* hujus sæculi deduci poterunt.

QUÆRITUR V.

Quænam Memorabilia pro Utilitate Ecclesiæ fecerint Franciscani Regularis & strictioris Observantiae in IV. Sæculo Ordinis?

Respondeo, tacendo pleraque alia, sequentia:

1. IN Europa plurimū sunt cooperati Franciscani ad promovendum Generale Concilium Tridentinum principaliter contra novos Hæreticos, maximè Lutheranos, Calvinistas, & Zivinglianos utilissimè ordinatum. Ut dictum Concilium celebraretur, jam præviè apud Clementem VII. Suntum Pontificē laboravit *Franciscus Quinonius* ex Regulari Observantia Generalis Minister totius Ordinis, ac Legatus Cæsareus, teste Eminentissimo Cardinale *Pallavicino p. 1. hist. Concil. Trid. lib. 2. c. 14. n. 4. fol. 72.*

Insuper *Franciscus Zamora* pariter Generalis Ordinis, suis doctissimis Orationibus, ad Concilium Tridentinum habens, insignem sibi &

& Religioni Seraphicæ laudem promeritus est. Nec minorem ibidem sibi Venerationem comparavit *Ioannes Calvius*, prævié, juxta dicta dicta superius *Quæst. I.* à *Paulo III* Pontifice ad Reges Galliæ & Portugalie, ad nunciandum Concilium Tridentinum alegatus, postea aëtualis Consultor Congregationis Th.ologorum Concilij, Vir integritate vitæ, Doctrinæque conspicuas, uti in formalibus loquitur *Pallavicin.* p. 2. *hist. l. 9. c. 3. n. 11. fol. 7.*

Andrea della Vega, subtili Scotistæ, præprimis inter tot Sapientissimos totius Mundi Viros, ibi congregatos, fuit comissa defensio Puneti principalis totius Concilij, nimirum Decreti de Justificatione.

Accedunt plures alii præclarissimi Theologi, ex Regulari Fratrum Minorum *Observantia*, in celeberrimo illo *Concilio Tridentino* existentes, & Bonum publicum prudentissimis suis Consiliis adjuvantes: puta *Dionysius Gracus*, & *Antonius de S. Michaële Episcopi*, *Franciscus Orantes* Procurator Episcopi Palentini, ac *Jacobus Hugo Gallus*, Procurator Episcopi Trecarensis. *Vincentius Lunelli*, *Aloysius Putens*, *Thomas Soliano*, *Bonifacius Ragusa*s, *Franciscus Ragusa*s, *Angelus Justinianus*, *Julius Passonius*, *Jacobus Alani*, *Michaël de Medina*, *Joannes Ramirez*, *Alphonsus Contreras*, *Joannes Lobera*, à Rege Hispaniorum missi, ac nonnulli adhuc alij.

Demum inter primos ex Purpuratis Executores Decretorum Concilii Tridentinii constitutus fuit Generalis noster *Clemens Dolera de Monilla* à *Paulo IV*. ad Cardinalitiam Dignitatem evectus

II. Quantam Operam navârint Franciscani pro Lutheranorum neo-hæreticorum Conversione, & titubantium in fide multorum Catholicorum confortatione in Germania superiori, si lingvæ tacerent, vel ipse tot Martyrum ex Ordine sanguis, copiosè pro veritate Catholica profusus, testaretur. Idipsum in *Quæsto I.* hujus seculi confirmat per proprium Breve *Paulus III*. Summus Pontifex, qui exinde etiam nostrum *Vincentium Lunellum* alegavit Nuntium Apostolicum ad *Ferdinandum* pro tunc Romanorum Regem.

Ioannes Glapion ex Ordine Franciscano *Caroli V.* Imperatoris Confessorius, cum præcipuis hæresis fautoribus privatos, magno cum fructu, congressus habuit, Consiliariosque Cæsaris quæ terpentes inflamavit, quæ perplexè cunctantes contra *Lutherum*, hostem Ecclesie sume-

noxium, extimulavit, atque edictum Cæsareum, anno 1520. in Lutherum emanatum, efficaciter promovit teste Card. Pallavicino p. 1. b. lib. 1. c. 24. n. 3. & 4. fol. 33.

Circa eadem tempora Medardus de Kirchen, Ferdinand I. Rom. Regis Concionator Aulicus, ejusdem Seraphici Ordinis, & pietate insignis, Austria ab imminente Lutheranismo plurimum præservavit. Mort. anno 1533. Fortun. Menol. fol. 515. 528. n. 6. & Chron. fol. 598. n. 12.

Paulus Soncinus Ordinis nostri Generalis rigidissime omnibus & singulis Franciscanis mandavit, Prout supra Qu. 2. n. 7. dictum est, ut Lutheri ejusque Asseclis in publicis cathedrali omni modo, usque ad effusionem sanguinis resisterent. Cujus paternum mandatum tam optatum effectum obtinuit, ut per Franciscum Walburg, Mathiam Oberhard, Udalricum Seiz, Guilielmum Berg, pluresq;e alios Franciscanos non solum multa millia Lutheranorum, verum etiam inter ræ Civitates, Oppida, Pagi & Villæ &c. ad gremium S. Matris Ecclesiæ reducerentur.

Sic etiam variis Lutheri aliorūque Hæreticorum errorib; in sesta Bohemia (ut alias Regiones brevitatis gratiâ h̄ic præterea) felicitatem suam magna ex parte adscribit Franciscanis, qui sub Ferdinando I. Imperatore 15. millia, sub Ferdinando II. intra quadriennium 10. millia Hæreticorum, & adhuc plures sub Ferdinando III. Romanæ coneiliârunt Ecclesiæ, de quibus omnibus vid. Gubern. de Miss. ant. fol. 226. & Petr. Ant. de Venet. P. 1. fol. 99. Plura qui scire cupit, consultat Chronistas nostri Ordinis, ac Menologium Latinum P. Fortun. Kueber fol. 515. & 1695.

De sola Bavaria, ubi hoc compendium scribo, nonnulla proferendo, præprimis venenatæ Lutheri doctrinæ ingenti animarum fructu effacissime fese opposuit Casparus Sasgerus, vel Schazgerus, Bavarus, contra hæreticam pravitatem Inquisitor, & ob plenam ac profundam S. Scripturæ cognitionem communiter Scrutinium Scriptura appellatus, cuius præclarissima Opera impressa à Serenissimis Dūcibus Bavariorum propria manu & Sigillo firmata, omnibus Prælatis, Parochis & Subditis, contra novæ Hæresis Sectatores, tanquam firmissima fundamenta seriduerunt commendata, prout Archivium nostrum adhuc similem copiam Authenticam exhibet.

Ioannes Nasus, è Fratre Lajco factus sacerdos, in tam eminentem evasit concionatorem, ut à *Pio V.* Prædicator Apostolicus, ac deum Episcopus Bellinensis, & Suffraganeus Brixinensis fuerit institutus, scriptis & dictis Lutheranorum continuus antagonistæ.

Joannes Winzlerus disputando, docendo, & contra Lutheri dogmata concionando tantum profecit, ut Algojæ Apostolum vox communis pronunciârunt.

III. Uti in *Germania superiori* contra Lutheranos, ita in *inferiori* seu *Belgio*, ac pariter in *Gallia* Franciscani non minus usque ad copiosam sanguinis effusionem contra Calvinistas, aliosquæ sectarios strenue decertârunt, ab Ecclesia loco premii, insigni Martyrii Laureolæ, etiam ritu publico, condecorati, prout gloriosos testes agere possunt Martires *Gorcomiensis Brielle* in Hollanda Anno 1572. sub Principe Auriaco exquisitis cruciatibus sublati, ac postea solemniter à Clemente X. Beatorum Catalogo adscripti.

Brugis in *Flandria* *Cornelius Braunerius* omnium calculo eruditissimus Theologus, contra dictos Novatores tantum effect, ut libellis etiam editis, & in sui memoriam relictis, communiter *Catholica veritatis Dictator*, *Hæreticorum Malleus*, & *Flagellum*, ac *Catholicorum confortator atque Propagator* appellaretur.

In comitatu *Flandria* ab Hereticis, & Iconoclastis circa Annum 1577. occupato, Franciscani in reductione Hugonotarum cum aliis tam solerter laborârunt, ut vix modicum zizaniam in fertilissimo hoc Agro antea spinis & tribulis consito, reperiretur.

In Missionibus suis ordinarijs ac continuis in Hollandiam, ac alias Batavorum Provincias nostri Patres Recollecti non solum Catholicos in vera Fide conservant, verum etiam quam plures Hæreticos ad eandem amplectendam zelosis suis exhortationibus utilissimè coñovent, prout videtur apud *Petr. Marchant* in 12. fund. p. 2 fol. 126. ubi pariter ampla & authentica citantur Testimonia Principum, Oppidorum &c. quibus conversiones totius populi ab Hæresi adscribuntur Fratribus Minoribus.

Quam utiliter PP. Franciscani Galli in populo illo Regno pro Hæresis Calvinianæ extirpatione desudârunt, qualiter hac de causa à Regibus & Episcopis maximo Religionis Catholicæ profectu, expediti

fueruit, ac quomodo multiplicatis Missionibus simul Populum Dei ele-
ctum multiplicaverint, desumi potest ex *Dominico Gubern. de Miss. ant.*
fol. 84. & seqq.

IV. Transfundo ab *Europa in Africam*, inter Missiones Franci-
scanorum, celeberrima fuit illa in *Congo*, inferioris Æthiopiae Regno,
ad finem præcedentis jam seculi, sub *Joanne II. Portugallie Rege in-*
choata, vel maximè autem seculò præsenti sub *Emmanuele, Joannis*
Successore, aliisque Lusitanie Regibus per plurimos annos felicissimè
eòtinuata; ubi *Rex & Regina Congensis*, unà cù *Filio Regis*, còstanti postea Re-
ligionis Catholicæ defensore, ac Vasallis iñumeris ministerio Fratrum Mi-
norum sacrâ fuerunt Baptismatis undâ abluti, Delubra diruta, Idola in
ignem conjecta, atque Ecclesie ad veri Dei cultum ubique exstructæ.
Et cùm hi Missionarij pro tanta conversorum multitudine haud qua-
quam sufficerent, continuò plures alij, ejusdem Franciscani Sodalitij
Sacerdotes, Viri SS. Literis eruditæ, atque Religiosæ Perfectionis lau-
de commendati, adlaborantibus in subsidium superaddebatur.

Episcopi in *Congo à potiori extiterunt Franciscani*; speciali notâ
leguntur digni: 1. *Dionysius à S. Antonio* indefessâ pastoralis Officij soli-
citudine populum fermè sine numero Christo per salutare lavarum re-
generans. 1. *Henricus Princeps Alphonsi I. Congani Regis Filius*,
post Franciscanus, & denique ad hanc Insulam assumpitus, sed morte
præventus. 3. *Franciscus à Villa Nova*, in promovenda animarum salu-
te semper indefessus, sub quo hic Episcopatus ad annum 1597. à *Cle-
mente VIII.* fuit subdivisus in duos, *Congi* remansit idem *Franciscus*:
in Regia Civitate *Bambe* verò Antistes constitutus est *Fr. Michaël Bap-
tista à Conimpria* ex Reformata Provincia S. Antonij, anno 1602. de-
mortuus, de quo seculo sequenti. Videatur de hac celeberrima Missione
Gubern. de Miss. ant. fol 621. & seqq. ubi contra nonnullos Historicos,
ex malâ informatione deceptos, veritatem horum dictorum eslicaci-
ter ostendit.

V. Pergendo ab *Africa in Asiam*, occurrit ejus notabilissima pars,
Indica Orientalis anno 1500 primitus per *Petrum Alvarez* ac successi-
vè per alios Portugallie Architalassos discooperta. In hac Franciscani
multa centena millia Infidelium Christo per Evangelium pepererunt;
ac noster *Henricus à Conimbria* cum suis septem socijs prima Funda-
menta

menta jecit novæ Custodiæ S. Thomæ, cum tempore in magnam Provinciam ex crescētis.

Anno 1540. Franciscani Regem & Reginam de septem Corlis: Anno 1549. In peratorem unà cum Curia Regni Ceylan baptizārunt.

Anno 1542 S. Franciscus Xaverius Goam in India perveniens, ac Joanni Albuquercio ex Ordine Minorum, qui tunc solus Episcopus ibidem toti Indiæ præsidebat, se præsentans, tanto ab eodem amore fuit suscepitus, tantaq[ue] inter eos amicitia contracta, ut invicem sua consilia amicissimè comunicarent. *Turzelin. in vir. l. 2. c. 1. f. 112.* qui f. 108. testatur, nullos tunc temporis in tota India Orientali fuisse Religiosos præter Franciscanos, inter quos Fr. Jacobi Borbani eruditio ac zelus præprimis eminebat, qui pueros Indos, à se conversos, etiam in lingua Lusitanâ instituens, eisdem, felici industriâ, in convertendis Ethniciis interpres adhibebat. Idem S. Xaverius dum anno 1548. *Cocinum* advenit, apud Franciscanos divertit. *Turzel. l. c. fol. 286.*

Anno 1550 in Malabarria ultra 50. millia hominum ad Ecclesiæ Catholico Romanam perducti sunt.

Anno 1556. Jacobus quidā Franciscanus, alijsque ejusdem Ordinis Operarij Regem Tanor cum universo suo Regno ad veram Fidem converterunt, quam pariter sub indecesso eorum zelo Apostolico suscepit Rex Canarum cum 70. millibus Vasallorum, quem postea eodem adhuc seculo fecutus est Rex Candæ, seu Candas, cum Principe majore natu, Regina Matre, & septem millibus suorum.

Anno Domini 1575. Petrus ab Alvare suique Sodales in Insulis Philippinis novem annorum spatio ultra ducenta millia Gentilium Christo adixere.

Anno 1593. Petrus Baptista cum alijs strictioris Observantie à Rege Hispaniarum ad potentissimum Japonia Imperatorem ablegatus, ut Caduceatorem ageret, Legationis negotium feliciter pertractavit, sibi que & suis Tyranni hujus animum adeò conciliavit, ut Regiā munitus authoritate Ecclesiæ, Hospitalia, & Monasteria construxerit, in quibus Evangelium publicè annuntiare, adultos Christiana Doctrina imbuere, & plurimos baptizare, sancta cum fiducia continuabat, usque ad annum 1597. Verū excitata per Sacrificulos gentiles gravi persecutio, cum 5. Sociis suis, ac tribus ex celeberrimâ Societate IESU,

nec non septemdecim tertij Ordinis S. Francisci professis, nobile Martyrium pro Christi Nomine subiit, omnes crucibus affixi & Lanceis perfossi.

Stupenda sanè erat constantia, quā in sola Civitate Meaco (ubi crudelitas ista inchoata, & Nangasacki completa fuit) quater mille Neo phyti Christiani certatim ad præfatos BB. Martyres Japonenses concurrerunt, ut cum ipsis Christi confessionem Martyrio solidarentur. *Marchant. in 12. fundam. fol. 117. Hueb. in Menol. ad 5-Febr. n. 1. & 10. fol. 505. & 510. Mazzar 5: Febr. fol. 187. n. 36. Boland. Tom. I. Febr. fol. 723. &c.*

VI. Quanta in India Occidentali seu America hoc sæculo pro Deo & Ecclesia Franciscani præstiterint, vix credi posset, nisi tot authenticis Testimonijis convinceremur *Martinus de Valentia* autoritate Apostolica, & Imperatoria *Caroli V.* circa annū 1523. illuc destinatus, cum alijs undecim suis Socijs in magno illo Imperio Mexicano & alibi baptizavit usque ad annā 1531. ultra decies centena millia Infidelium, 500. Idolorum Templa solo æquavit, ac plusquam 20 millia Dæmonum Simulacra, à cæcis his Gentibus antea culta, confregit, atque pluribus in locis Ecclesiæ & Oratoria erexit.

Tanta fuit, teste *Joanne à Zumeraga*, primo Episcopo Mexicano ex Seraphico Ordine assumto per hos indefessos Operarios in Vinea Domini animarum messis collecta, ut mirabili Divinæ providentiae dispositione censeretur *Martinus* ille in Indiis resarcivisse ingens illud animarum damnum, eodem ferme tempore in Germania Ecclesiæ ab alio *Martino*, Apostata nimirum *Luther*, illatum.

Magis adhuc mirandum est quôd unicus Frater *Petrus de Gandavo*, professione simplex Laicus virtutetamen ex alto induitus, hæc circa tempora in Indiis Occidentalibus florens, tantum valuerit, ut frequenter cum Socio 14. millia Gentilium, interdum 10. aliquando 8. millia, unica die baptizârit de quo secundus Archi-Episcopus Mexicanus, *Alphonsus de Montular*, ex laudatissimo Ordine Dominicanorum dicere solebat: *Non ego Mexici Archi Episcopus sum, sed Fr. Petrus à Gandavo, Laicus Ordinis S. Francisi: voluit nimirum sapientissimus totius mundi Gubernator, qui pro majore divini Nominis exaltatio-*

ne ad convertendum Orbem veterem indoctis utebatur Piscatoribus, nec in conversione novi Orbis simplices Laicos excludere.

Martinus à JESU Strictioris Observantiae à Sinzica Rege in Mechoacan & Xalisco, post receptum S. Baptisma, in suum Territorium vocatus, una cum aliis ejusdem Instituti Missionariis, infinitos fermè Infideles savissimo Christi jugo subjecit, ac fundamenta posuit pro duplice Provincia, à nostris ibidem erecta, una SS. Apostolorum Petri & Pauli in Mechoacan, altera S. Jacobi in Xalisco.

Sanctus Franciscus Solanus, Regularis Observantiae, India Occidentalis, maximè Regni Peruani, *Apostolus anno 1589.* in Americam abiens, in Tucumania, ad 900. Leucas Hispanicas sese extendente, multa millia Ethnicorum lumine veræ Fidei, ac virtutum radiis illustravit.

Quantum ejus presentia pique Sermonis vis apud Indos posset (verba refero ipsius Bullæ Canonizationis die 6. Kal. Jan. 1726.) *tunc maximè patuit, quam multa millia Infidilium, Christianis de more, in Dominice Passionis Mysteriis recolendis feria V. in Cana Domini sanctè occupatis, cruentam Cedem jamjam allatura, ipse DEI Verbo exarmavit, diversèq; ac sibi ignota lingua barbara homines uno Idiomate allocutus, non solum pacem svasit, sed ad Christi Fidem supra novem millia convertit.*

Videantur plura in Authoribus superiùs citatis, ac in *Historia de vita S. Franc. Solani*, novissimè canonizati.



~~~~~

# SÆCULUM V. ORDINIS SERAPHICI

id est  
ab anno M DC. usque ad  
annum M. DCC.

## QUÆRITUR I.

*Quinam Pontifices extiterint sub quinto Særaphici Ordinis Sæculô, & quæ bona nostræ Religioni contulerint?*

*Respondeo, ut sequitur:*

I. **L**e XI. Florentinus, antea Alexander de Medices, qui ne quidem integrum mensem in suo regimine adimplevit, præmatura morte abreptus; hincque de ipso nil notabile occurrit, cùm eodem, quo Antecessor suus Clemens VIII. obierit anno, id est

1605.

II. **P**aulus V. Romanus, antea Camillus Burghesius dictus, qui ut Cardinalis Romæ, nomine Pontificis anno 1600. præsidebat Capitulo Generali, & ut Papa toto tempore sui laudatissimi Regiminis strenue laboravit, quatenus perfecta Concordia Franciscanos inter Regularis ac Strictioris Observantie, sanctè conservet, uti patet ex Bulla Postulat Apostolica &c. apud Gubernatis Tom. 2. lib. 7. cap. 3. n. 181. & 182. fol. 372.

Induk

Indulgentias plenarias concessas recitantibus coronam Rosarii Franciscanorum ex septemplici decade etiam post Generalem suam revocationem Indulgentiarum, iuncte Regularibus concessarum, benignissimè innovavit, juxta Breviarii nostri Rubricas particulares tit. 8. num. 90. Alias Indulgentias plenarias pro omnibus Christi Fidelibus tempore Generalis Capituli solennissimè indulxit per Breve Apostolicum reperendum apud Gubernatis Tom. 3. fol. 602.

Paschalem Baylon, Strictioris Observantiae in Hispania Professum, declaravit Beatum per Breve : In sede Principis : editum 29. Octobris 1618. Tacentur plures aliæ gratiæ, quas Ordini Seraphico concessit. Ecclesiam rexit usque ad annum 1621.

III. Gregorius XV, Bononiensis Italus, antea Alexander Ludovisi, qui teste Guber. Tom. 2. fol. 373. tenerimum affectum, quo jam ante Papatum ferebatur in Ordinem Seraphicum, in suprema hac Dignitate constitutus non minuit, sed adauxit, specialiter addictus Strictiori Observantiae, & in eadem præ aliis prosecutus Paulum de Liburno, Didacum Bononensem, & Paulum Madritensem, quorum ultimo liber semper ad Pontificem patebat accessus.

Eidem strictiori Observantiae concessit singularem aliquem Vicarium Generale à quatuor Visitatoribus Apostolicis & Procuratore Generali Curiæ coram Sanctitate sua, personaliter Præsidente, eligendum. Benignum à Genua totius Ordinis Ministrum Generalem, ex eadem Familia electum, per Breve allegatum à Guber. Tom. 1. fol. 252. Authoritate Apostolica munivit, ut omnia ordinet in visitatione Provinciarum juxta Declarationes Nicolai III. & Clementis V.

Petrum de Alcantara, in Hispania clarissimum ejusdem strictioris Observantiae Lumen Beatorum numero adscripsit. Indulgentias Portiuncula extendit ad omnes Ecclesiæ Fratrum S. Francisci per Breve : Splendor paterna glorias dat. 4. Jul. 1622. v. Lantusca. Theat. Reg. V. Indulgent. p. 290. Rexit Ecclesiam usque ad annum 1623.

IV. Urbanus VIII. Florentinus, antea Maphæus Barberini, maximus amator Seraphici Ordinis, prout non solum opere, & quidem saepius, sed etiam verbis publicè contestatus fuit ad Nepotem suum Cardinalem Barberini in Beatificatione Petri Baptiste, & Sociorum Martirum Japonensium ex strictiori Observantia, hæc formalia proferens :

Ecce

*Ecce Domine cognate, quantum diligam vestrum Franciscanum Ordinem,  
enī hodie magnum plaustrum, Beatis plenum, in suum horreum invexit.  
In pignus amoris constituit eundem Cardinalem, Nepotem suum, Pro-  
tectorem nostrum, qui huic officio amorosè præesse dignatus est 45.  
annis. Nec mirum, dum antequam Cardinalitiam dignitatem adep-  
tus est, ipsem intendebat militare DEO sub Reformatis Provinciæ  
Seraphicæ.*

*Ut Religio universa in purissima sacræ Regulæ Observantia juxta  
Declarationes Nicolai III. & Clementis V. conservaretur, Urbanus VIII.  
indebet laboravit, prout patet tam ex Bulla = *Sacrosanctum Apostolatū* 1. Octob. 1625. in Bullario Romano, Luxemburgensis novissima editio-  
nis de an. 1727. & seqq. Tom. IV. Constit. 49. dicti Pontificis, quam ex  
pluribus aliis apud Gubernatis reperiendis. Habitum Seraphicum apud  
sæculum in summa veneratione haberi voluit, dum per Breve = Cùm si-  
ent = apud Gubernatis Tom. I. fol. 485. gravissimè inhibuit, ne Eremitis  
quibuscumque portatio Caputii Franciscanorum concederetur.*

*Pro Franciscanorum augmento in India, tam Occidentali quam  
Orientali, plura saluberrimè dispositi. Statuta Reformatorum Italicæ  
munimine Apostolico roboravit, ac Custodi m Bavariæ in Proviniam  
strictioris Observantiae cum amplissimis favoribus erexit per Bullam pa-  
riter incipientem : *Sacrosanctum Apostolatū* Tom. 4. præfati Bullarii Ro-  
mani Constit. 36. ejusdem Pontificis. Quinimò post aliquot annos ean-  
dem gratiam reliquis quoque Reformatorum Custodiis universaliter mo-  
tu proprio exhibuit per Bullam = *Injuncti Nobis*, anno 1639. in eod. Bul-  
lar. Tom. V. Const. 140. Rexit Ecclesiam usque ad annum 1644.*

V. *Innocentius X. Romanus, antea Joan. Bapt. Pamphilus, qui*  
primo regiminis anno per Breve Apostolicum pro felici Capituli Gene-  
ralis successu concessit omnibus Christi Fidelibus Indulgentias plenarias,  
& Præsidentem ejusdem delegavit *Julium Rossiglio sum*, postea in Ponti-  
ficatu Successorem sub nomine *Clementis IX.* Ut loca Terræ sanctæ sub  
directione nostræ Seraphicæ Religionis semper florent, singulariter in-  
vigilavit per duo Brevia Apostolica apud *Julium à Venetiis* fol. 53. &  
54. invenienda.

*Quod Indulgentia Ecclesiæ Portiunculæ in anno sancto sub Gene-  
rali revocatione Indulgentiarum non intelligatur comprehensa, decla-  
rat.*

ravit per Bullam = Cùm ob sacri Jubilai &c. Tom. V. Bullarii Romani,  
dict. edit. Luxemb. Conſtit. 44. illius Pontificis.

Ex libro de gratia Christi & libera hominis voluntate, Cornelii Janſenii Hollandi, Iprensis Epifcopi, quinque propositiones ut hæreticas ſo-  
lenni Constitutione = Cùm occaſione e dat. prid. Kal. Jun. 1653. da-  
mina-  
vit. Vid. dict. Tom. 5. Bull. Conſtit. 54. Cui noxiæ Janſenistarum do-  
ctrinæ Franciscani ſemper fortiter reſtiterunt, prout etiam P. Generalis  
Michaël Angelus de Sambuca in Comitiis Generalibus Toletanis 12. Jun.  
1658. celebratis, cum toto Capitulo ſpeciale mandatum ad universum  
Ordinem promulgari curavit, ut non ſolū literis Apostolicis, peſti-  
feras illas 5. Propoſitiones pribibentibus, ex ea proſuſ obedientia ad li-  
teram, abſque ull'a interpretatione, praefetur, verū etiam exteri-  
omnes in ſanctū ſententiam à nobis per tri pro virib⁹ curentur.  
Videatur Guilielm. Herinck ex Ord. Minor. Recollect. aſſumptus Epife-  
pus Iprensis, part. 2. Summe Theol. Scholast. in annexis in fine: fol. 47.

Idem Pontifex, ut Bibliotheca ſtrictioris Observantiae, tanquam  
Armamentarium Scientiarum ad oppugnandos Hæreticos defervientia,  
Temper conserventur integra, ſub Excommunicatione latæ ſententia pro-  
hibuit, ne libri extrahantur eod. Tom. V. Bullar. Conſtit. 46. Rexit Ec-  
clēſiam uſque ad annum 1655.

VI. Alexander VII. ante Fabius Chisi, Senensis Italus, ſpecialis  
cultor Immaculatae Conceptionis B.V. MARIAE, uti clarè eruitur ex Bul-  
la = Sollicitudo omnium = Tom. 5. ſepediſti Bullar. Luxemb. edit. Conſtit.  
114. Privilegia omnia confeſſa tam Guardiano ſacri Montis Sion, quam  
Fratribus, nec non locis Terræ sanctæ clementiſſime innovavit. Ut  
deinceps pro majori quiete Ordinis non eligantur in Familia Cimontana  
Discreti Conventuum, mittendi ad Capitulum Provinciale, decrevit.  
Scientibus Exercitia Fratribus tam Regularis quam ſtrictioris Observan-  
tia Indulgencias plenarias indulſit.

Alternativam Coṁiſſarii Generalis Familiae Cimontanae à Generali  
Capitulo Observantes inter & Reformatos pro majori ad invicem Con-  
cordia introductam benigniſſime ratam habuit. Provinciis in Braxilia,  
tanquam remotiſſima Indiæ Occidentalis parte, existentibus proprium  
Coṁiſſarium Generale admisit. Statuta Indiæ Orientalis confirma-  
vit, pluraque alia favorabilia tum in Romano Bullario, tum apud Guber-  
natias

natis Tom. I. tum apud *Julium à Venetiis* videnda, ordinavit, Rexit Ecclesiam usque ad annum 1667.

VIII. Clemens IX. Hetruscus Italus, antea Julius Rospiigiosi, qui nec ipse in cultu Immaculatæ Virginis propagando cessit, antecessori suo, utpote per Bullam *Sincera nostra &c.* Tom. VI. *Bullarii Constitut. 13. dicti Pontificis*, præcipiens, ut festum Conceptionis Immaculatæ Virginis deinceps cum octava celebretur in Terris sacrae Romanae Ecclesiæ temporali Jurisdictioni subjectis.

Pro conservanda puritate Regulæ Seraphicæ vigilem curam gessit; hincque *Ildephonsum Zelatorem* in Purtugalliam, & Galliam destinavit suum Commissarium Apostolicum, quatenus, si alicubi ex belli tumultibus videret collapsam aliquomodo Regularem Disciplinam, eam restauraret, ac ubi, benedicente Domino, perseverare eandem cernebat, firmius solidaret. Germaniæ superiori ex Regulari Observantia *Joannem Molinam de Navarette*, Imperatricis Confessarium concessit quoad Ditiones, Imperatori subjectas, Commissarium Generalem per Bullam *Religionis Zelus*, apud *Gubernatis Tom. I. fol. 320.* Rexit Ecclesiam usque ad annum 1669.

VIII. Clemens X. Romanus, antea Æmilius Altieri, qui, dum vix sumum Ecclesiasticæ Dignitatis fastigium concendit, primò statim Pontificatus anno Seraphicæ Religioni valde gloriosam edidit Bullam canonizationis *S. Petri de Alcantra*, strictioris Observantiae singularissimi Patroni, quem Praedecessor suus equidem Sanctorum Catalogo adscripsit, morte tamen, præoccupatus, solenne desuper Diploma expedire non potuit. Memoratâ Bullâ videre est in *Bullario Romano Luxemb. edit. Tom. 6. Constit. 1. dicti Pontificis.* Declarationem Cardinalium de cultu immemoriali *B. Ludovice de Albertonibus*, Nobilis Romanae, ac tertii Ordinis S. Francisci, cuius sacrum Corpus Romæ in Ecclesia S. Francisci Fratrum Minorum strictioris Observantie ad Ripam Tiberis in pretioso requiescit Mausolæo, per specialem Bullam confirmavit, unâ cum Missa & Officio de eadem Beata.

Familiae Cismontanae Reformatorum proprium ac distinctum Commissarium Generale usque ad futurum Generale Capitulum, inauditò prius exemplò constituit per Diploma *Religionis Zelus &c.* apud *Gubernatis Tom. I. fol. 267.* videndum, ac demum iisdem Patribus Reformatis

matis seu strictioris Observantie, ob ardentem zelum, quo salutem animarum omni studio procurare laborabant, per Bullam *Cœlestium munierum &c. apud Julium de Venetiis*, fol. 130. inveniendam, concessit, ut in quibuscunque regionibus, in quibus aetü non existunt Missionarii Congregationis de propaganda Fide, possint de licentia Ordinariorum exercere Missiones publicas, ac congregato populo Benedictionem Papalem, & plenariam omnium suorum peccatorum remissionem imperari; quem similem favorem per æqualem Bullam postea, juxta dicenda, *Innocentius XI. toti corpori Seraphico apud Julium de Venetiis* fol. 153. elargiri dignatus est, & *Innocentius XII.* denuo indulxit Regulari Observantie apud *Felicem Potestam in suo Examine Ecclesiastico Tom. III. part. 3. fol. 654.* ubi simul utilissimæ præscribuntur Regulæ in talibus Missionibus observandæ. Rexit autem Clemens X. Ecclesiam usque ad annum

1676.

**IX.** *Innocentius XI.* Novocomiensis Italus, antea Benedictus Odeschalchi, vitâ, moribûsque integerimus, ita, ut de ejusdem Apostoli, seu futura Beatificatione Romæ agatur. Hic raro encomio celebratur à *Bullario Romano Editione Luxemb.* Tom. X. fol. 212. ut alienus à suis, pauperibus verò suuropè addictus, præsertim pauperi Religioni Seraphicæ, quam, ut in suo nitore, & puritate Regulæ conservaret, ac, ubi necesse foret, tollendo abusus pristino candori restitueret, plures Bullas edidit, signanter illam *Militantis Ecclesiam* ac illam *Solicitudino Pastoralis*, apud *Julium de Venetiis* fol. 142. & 149. reperendas. Pro quarum exacta executione *Josephum Ximenez Generalem*, sacraeque Regulæ Zelatorem, per speciale Diploma *Ex commissione Nobis &c.* constituit Commissarium Apostolicum.

Regulam Seraphicam cum aliis Pontificibus seu Medullam S. Evangelii veneratus, voluit, ut Professores ejusdem pariter in Missionibus Apolicis imitarentur Apostolos; hinc ipsis per Bullam superiùs apud Clementem X. allegatam dedit licentiam, ubique Terrarum, ubi Missiones de Propaganda non existunt, cum permissione Ordinariorum prædicandi Evangelium, Indulgientiamque plenariam cum Benedictione Papali confluenti Populo impertinendi.

Erectionem Seminarii nostrorum Missionariorum in Regno Portugallie per Bullam *Ex injunctio Nobis &c.* & alterius similis Seminarii

in Regno Mechuan. Indiæ Occidentalis per Bullam *Sacrosancti Apostoli &c.* clementissimè confirmavit. Custodiam Insulæ Maderæ in mari Atlantico per Bullam *Nuper pro parte &c.* erexit; Constitutio-nes pro Domibus, Collegiis, & Seminariis nostræ Seraphicæ Religionis in Indiis minime Apostolico roboravit, ac Innumeræ quasi gratias, videndas apud *Julium de Veneo* fol. 166. pro Apostolicis ibidem Operariis adjunxit. Isuper apud eundem *Julium a Venetiis* fol. 196. per Breve *Pietatis &c.* nostris Patribus alios in doctrina Catechetica instruenibus, ut etiam Sæcularibus in Catechesi comparentibus, vel Juventutem ipsam illuc ducentibus varijs Indulgentias indulxit.

Denum, ut brevitatis gratiâ plura præteream, sicuti memoratus Pontifex ut Hæreticam damnavit doctrinam *Michælis Molinos*, ita è contrario ipse & Successores ejus iteratò clementissimè approbaverunt, ac variis Indulgentiis condecoraverunt *Viam Crucis*, cuius sacrum Exercitium plura Capitula Generalia ad hæc usque tempora ex eo fine ubiq; Terrarum dilatarî curârunt, ut per frequentes meditationes Passionis Dominiæ, tanquam per actus virtuosos, sumè meritorè elicatos, opposita *Michælis Molinos*, & *Quietistarum*, Christianum perfectionem in mera quiete, seu statu mere passivo, absque elicitione actuum, etiam virtuosorum, constituentium, damnata Principia etificaius impedirentur, aut omnino destruerentur.

In favorem Lectorum Jubilatorum Ordinis Minorum *de Observantia* edidit Breve *Exponi Nobis*, apud *Gubernat.* Tom. 4. fol. 233. vi cur Jus Præfati literas S. Pœnitentiariæ Doctoribus seu Magistris in S. Theologia inscriptas, aperire, ac omnibus aliis prærogativis, præminentiis, privilegiis, gratiis, & indultis, quibus alii Regulares Doctores Artium & SS. Theologiæ Magistri tam de jure, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, frui queant, dummodò non contrariantur Ordinis Constitutionibus. Rexit Ecclesiam usque ad annum 1689.

X. Alexander VIII. Venetus, antea Petrus Vitus Ottoboni, qui in brevi suo regimine eximiam fecit Seraphicæ Religioni gratiam, dum *B. Joannem Capistranum*, Turcarum terorem, ac Regularis Observantie Zelatorem eximium, anno 1690. magna cum Solennitate Sanctorum Catalogo adscripsit, cui eodem tempore ex strictiori Observantia

B. Paschalem Baylon ferventissimum Eucharistiae cultorem adjunxit. Patrem Angelum Michaëlem a Creta Regularis Observantiae Virum celeberrimum, Leopoldi I. Imperatoris Theologum, SS. Congregacionum Indicis & Rituum Consultorem &c. qui plures Ordinis Conventus in Peloponeso instituit, ibique teste ipso Summo Pontifice, Catholicam Religionem introduxit, primis Ordinis Patribus per speciale Diploma anumeravit, & Sacri Palatii Apostolici Concionatorem constituit. Rexit Ecclesiam usque ad annum 1691.

XI. *Innocentius XII.* Neapolitanus, antea Antonius Pignatellus, qui suum erga Seraphicam nostram Religionem amorem multis signis patefecit: nam imprimis sub ejusdem gloriose regimine Statuta generalia Victoriensis, Declarationibus Nicolai III. Clementis V. & Innocentii XI. innixa anno 1694. (Presidente nomine Sanctissimi Reverendissimo Joanne Alonso, Episcopo Celsonensi, ex ipso sacro Ordine assumpto) condita fuerunt, pro quorum executione P. Bonaventuram Boërium, Missionarium Generalem Commissarium Apostolicum constituit per Breve Ex debito Pastoralis, dat. 28. Aug. 1694.

Secundò eundem Boërium ad Episcopatum Salernitanum, & Antonium a Cordona ad Archi-Episcopatum Valentinum, ambos ex Regulari Observantia, assumpsit.

Tertio idem Sanctissimus ex strictiori Observantia destinavit quosdā animatum Zelatores in Abbassiam, qui Imperatorem ibidem (*Magnum Sacerdotem Joannem dictum*) ad gremium sanctae Matris Ecclesiæ reduxerunt, & aliquot Procerum, seu Principum filios, ut instruerentur in vera Catholica Religione, secum Romanam duxerunt ut amplius dicetur Quæst. V.

Quartò Breviarium Franciscanum à Patre Bonaventura Diaz in commendationem ordinem digestum, confirmavit, & plures Indulgentias pro oratione mentali, ac Via Crucis (quam etiam ampliaverat) impetravit in ipsis Rubricis particularibus dicti Breviarii videndas. Rexit Ecclesiam ferme usque ad annum 1700.

QUÆ.

## QUÆRITUR II.

*Quinam extiterint Ordinis Generales in quinto Sæculo Ordinis? Respondeo sequentes.*

I. *Franciscus de Sousa*, Hispanus, nobilitate, doctrina, prudentia, & mira in rebus agendis dexteritate, sumis Principibus valde acceptus. Quantum zelaverit Ordinis disciplinam, labor indecessus in visitandis personaliter Germaniæ, Hispaniæ, Galliæ, ac Italiam Provinciis, nec non condita Statuta ac Epistole Encyclicæ abunde contestantur.

Imputatur eidem, quod saltē pro foro conscientiae impetraverit à Pontifice Clemente VIII. potestatem dispensandi cum subditis in certis quibusdam præceptis Regulæ contra essentialia vota non militantibus; quæ procuratio tamen teste *Gubern. Tom. I. fol. 243.* à tanto Viro credi non potest. Hoc certum omnino est, quod concessio illa nunquam fuerit publicata, nec acceptata ab ullo Generali Capitulo. De cætero fuit hic Generalis Episcopus Canariensis, deinde Oxomensis, & ultimè Segoviensis. Præfuit Religioni Seraphicæ usque ad annum

1606.

II. *Archangelus Gualterius de Messana*, Italus, Vir integro sui sexennii gubernio nullis parcens laboribus, ut strictioris Observantia Recollectionem in suo rigore conservaret. Ad Provincias Italiam dedit Epistolam, n̄l nisi Spiritum Seraphicum continentem, quæ allegatur, & jure merito commendatur à *Gubern. Tom. I. fol. 243.*

Fuit pro eximiis suis in Ecclesiam in meritis promotus ad Archi-Episcopatum montis Regalis prope Panormum, postquam gloriosū complevit sexennium sui Generalatus, id est usque ad annum

1612.

III. *Ioannes de Fero sive Ferro*, Hispanus, nobilissimis Parentibus natus, & sub ipsa jam receptione ad ordinem per *Joannem de Jerusalem*

lem Spiritu prophetico prædictus futurus Generalis. Quo studio Regulæ puritatis conservationem intenderit, evidenter convincunt (teste *Gubernatis* in verbis formalibus *Tom. I. fol. 249.*) ea omnia, quæ super ejus observationem secundum *Nicolai III. & Clementis V.* Apostolicas Declarationes mira prudentiâ atque invicta constantiâ decrevit, & executioni mandavit. Nimis mature (id est integro Generalatûs bienio necdum completo) mortuus, & in officio & in zelo verè Seraphico Successorem habuit *Antonium de Trejo*, qui tanquam Vicarius Generalis supplevit restantes defuncti annos usque ad annum 1618.

IV. *Benignus à Genna*, Italus, ex strictiori Observantia omniū primus Generalis, admittente præsertim *Antonio de Trejo*, Vicario Generali, concordibus Suffragiis electus, qui ob rarum integritatis, ac Religiositatis exemplum, tantam sub *Innocentio X.* Pontifice, & *Petro Mannerio*, Ministro postmodum Generali sibi promeruit laudem, ut præclaris illis Ministris Generalibus, qui in exordio Religionis floruerunt, jure adnumerari visus fuerit.

Hic ad conservandam, vel etiam (ubi necesse fuit) reparandam in Ordine universo vitæ Seraphicæ Sanctimoniam verbo atque exemplo indefessè laboravit. Celeberrima, & facræ Regulæ vel maximè conformia Statuta Barcinonensis pro Ultramontana Familia ab *Urbano VIII.* confirmari fecit. Conventus complures etiam pedestri itinere ingenti fructu præsertim in Galliis visita vit. Pro tuenda Ordinis dignitare, & conservanda Regularis ac strictioris Observantie unione ultra fidem defudavit; hincque à Sumo Pontifice *Urbano VIII.* in Generalatu, prorogando ultra tempus aliás consuetum, per integrum Septennium confirmatus. Rexit Ordinem usque ad annum 1625.

V. *Bernardinus de Senis*, Lusitanus, in ipso anno Jubilæi Romæ electus, quo pariter tempore in sacro Vaticano, summo Urbis & Orbis aplausu, incredibili hominum frequentia, ac apparatu verè regio, relata est in Sanctorum numerum *B. Elisabeth* tertii Ordinis S. P. Francisci, quondam Lusitanæ Regina.

Erat Generalis iste non minùs Regulæ literaliter observandæ fervore, quam doctrinâ conspicuus, propterea jam ab Antecessore suo *Benigno à Genna* ad prima Ordinis officia (puta ad Secretariatū & Commissariatum Generalem Ultramontanæ Familiae) promotus. Præ omnibus

bus zelum hujus Generalis demonstrat specialis illa Bulla = *Sacrosanctum Apostolatus &c.* apud *Gubernatis Tom. I. fol. 256.* per ipsum ab Urbano VIII. impetrata. Demum anno 1630. etiam reluctans, tuit enectus ad Episcoporū Visitationem, S. Religionē ad interim gubernata per Vicarios Generales usque ad annum

1633.

VI. *Ioannes Baptista à Campana*, Italus, Vir magnæ sapientiæ & prudentiæ, qui integrō triennio utramque Familiam solus absque ullo Commissario Ultramontano gubernavit, in auditō post Bullam *Unionis Leonis X. exemplō.* Zelo promovendæ Observati nis sacræ Regulæ Prædecessoribus suis minimè cessit, adhuc ad hunc finem Orationis mentalis, ac Exercitiorum spiritualium diligentia studio. Mysterio *Immaculæ Conceptionis Deiparae Virginis* erat tota singularitate devotissimus.

Subtilis doctrinæ Mariani Doctoris Joannis Duns Scoti & Comentator & Defensor acerrimus, per cujus zelum & diligentiam, adhuc ito simul Patrum Hybernorum labore obtenti sunt Comentarii Scoti, quindecim Tomis comprehensi. Enectus fuit ad Episcopatum Dertuensem, ac postea ad Puteolanum, postquam Ordinem rexit usque ad annum

1639.

VII. *Joannes Merinerus*, natione quidem Hispanus, Regi tamen Hispaniarum sub principio, ex sinistra malorum informatione, minimè acceptus, usque dum, Deo suaviter cooperante, veritas obnubilata magis illuxerit, adeò quidem, ut etiam contra voluntatem suam fuerit ab Alfonso Rege Catholico ad Episcopatum Civitanensem denominatus. Staruta rigorosa Reformatorum Familiae Cismontanae sub ejusdem Generalatu emanarunt. Rexitque is Ordinem magna cum laude usque ad annum

1645.

VIII. *Ioannes de Neapo*, Italus, sanguinis nobilitate ac virtutum splendore insignis, Vir admirabilis prudentiæ, ad summa quæque negotia natus; Provinciæ Reformatæ Terræ Laboris Minister Provincialis existens, ed desudavit, ut strictior sacrae Regulæ Observantia ubique magis firmaretur, & Reformatorum Custodiae in Provincias erigerentur. Consultor Inquisitionis Generalis in Regno Neapolitano factus, solicite invigilavit, ut Catholica illic Religio semper illibata in suo flore permaneret.

Pro-

Pro-Regi ibidem non minus, quam aliis Principibus, ac Innocentio X. Pontifici perquam acceptus, à Rege vero Catholico præcipue dilectus fuit, qui eundem ad Insulas Valentinas præsentavit, quas tam en tanto viro mors præmatura invidit, dum vix integrum quadriennium sui Generalatûs absolvit: cuius residuum tempus supplevit Vicarius Generalis Daniel à Dongo Reformatæ Provinciæ Mediolanensis insignis Theologus usque ad annum 1651.

IX. Petrus Manerus, Hispanus, Vir omni titulo singulariter insignis, in Guberniis raro zelô prudens, & ex morum suavitate amabilis. Fuit à Philippo IV. Hispaniarum Rege ad Tyraconensem Episcopatum nominatus, & ab Alexandro VII. confirmatus anno quinto sui Generalatûs. Reliquum temporis spatum, Capitulō Generali ob Bellorum & Pestis incommoda authoritate Apostolica per annum dilatò, adimpleverunt successivè duo Vicarii Generales, Julianus Perez, eoque post annum defuncto, Joannes de Robles, usque ad annum 1658.

X. Michael Angelus de Sambuca, Italus, strictioris Observantiae, cuius sanctus, statim in principio officii sui, zelus facilè ex prima post electionem Epistola Pastorali colligi poterit per sequentia verba formalia: *Mentem nostram Franciscana sinceritate vobis aperire conamus, qua in alio nō consistit, quam in virtute provehenda, in abusibus extirpandis, in instituenda & excolenda Regula nostra primæva & Apostolica Observantia &c.*

Ex quo fine sub eodem Generali pro Familia nostra Cismontana præclara illa Statua Sambucana prodierunt, postmodùm ad ipsamet sacra Congregatione Episcoporum ac Regularium examinata, & anno 1662. die 18. Augusti, referentibus Eminentissimis Cardinalibus Carpineo, Franciotto, & Brancaccio, approbata, sine præjudicio tamen Observantia Regularis, & NB. aliorum Statutorum, Apostolica authoritate confirmatorum.

Hæc ultima verba moderativa propterea suis subiuncta credo, quia testibus Gubernatis Tom. I. fol. 264. & Julio a Venetiis fol. 87. nonnulla de recensenda Provinciarum serie quoad præcedenti am fuerunt ibidem de novo. nescio quo spiritu privato, adjuncta, contra Capituli Generalis intentum &c. &c. hincque in sequentibus Capitulis correcta. E. G. in antiquioribus quibusdam Exemplaribus Sambucanis repries ( prout ipsem legi ) Provincias i Reformatorum Italicas

præponi Germanicis, cùm tamen ultimæ omnes præcedant Priors, prout in novis Exemplaribus Sambucanis per *Julium à Venetiis* typo vulgatis fol. 50. & apud *Gubernatis Tom. 4.* fol. 395. rectè adducitur, ac ipsamet praxis in ultimis duobus Capitulis Generalibus, Romano ac Mediolanensi, me præsente, sic docuit. Cæterū pro meritis suis fuit ad Catanensem Episcopatum in Sicilia promotus, postquam Ordinem integro sexenio rexit, id est, usque ad annum 1664.

XI. *Ildephonsus*, seu *Alphonsus Salizanes* Hispanus, potissimum operâ Eminentissimi Cardinalis Protectoris Barberini, sacre Sera phicæ Regulæ ferventissimi Zelatoris, promotus, quem etiam dictus Cardinalis Bullâ Pontificâ munitum cum amplissima, quæ ipsamet Protectori competeteret, facultate destinavit in Lusitaniam, ut nonnullas ibi Provincias ex longâ absentia Generalium, & furentibus eo tempore Castellanos inter & Lusitanos Bellorum tumultibus, ex parte remissas, pristino nitorि restitueret.

Germaniæ superiori proprium Commissarium Generalem assi gnavit, atque librum de Civitate mystica, à Ven. Moniale *Maria de Agreda* conscriptum, ipse sua industria, & indicibili boni publici utilitate ad typum promovit, postquam eundem rigorosâ priùs censurâ curavit examinari ab eximiis Viris Ordinis Seraphici, *Joanne de Muniessa* S. Officii Qualificatore, & Catholicæ Regiæ Majestatis Prædicatore, *Andrea de Quadalupe* Lectore Jubilato, ac Regiæ Principis sæ Confessario, *Joanne de Molino* Lectore Jubilato. S. Officii Qualificatore, ac Augustissimæ Imperatricis Confessario, aliisque pluribus præstantissimis Theologis. Fuit demum ad Insulam Ovietensem evectus, & postea ad Cordubensem translatus, postquam gubernavit Ordinem usque ad annum 1670.

XII. *Franciscus Maria Rhini*, Italus, antea sanctæ Inquisitionis Consultor, & Commissarius Apostolicus in partibus Orientis. Hic Generalis tam in primis suis Pastoralibus, quam Statutis Generalibus, post ejusdem electionem conditis, illicò publicè protestatus est cum toto Capitulo, Ordinem nostrum nullatenus velle admittere ullum Privilegium dispensativum Regulæ, sed potius pro viribus, Divino favente auxilio, illam purè observare juxta Declarationes Nicolai III. & Clementis V. &c.

Vix quadriennium in Generalatu adimplevit, & ad Archi-Episcopatum Syracusanum promotus fuit, residuo tempore suppleto per *Franciscum Mariam de Castro sancti Petri*, qui titulum Generalis per Breve Apostolicum obtinuit, ac simul computatis hujus, & *Francisci Rhini* annis rexit Ordinem usque ad annum 1676.

XIII. *Josephus Ximenez Samaniego*, nobilis Hispanus, Lector Jubilatus, & in Regio pro Immaculatae Virginis Conceptione consilio Theologus. A doctrinæ excellentia, in agendis prudentia, morum suavitate & inculpatæ vitæ laude celeberrimus, ab omni proflus rerum humanarum respectu & passione alienus; Provincias, raro modestiæ & paupertatis exemplò visitavit, iisque tales Superiores præfecit, quos præ cæteris ad Dei servitium, & promovendam Ordinis sanctitatem magis idoneos judicavit.

Innocentio XI. fuit acceptissimus, uti patet ex succincta descriptione vitæ Altesati Summi Pontificis, qui singularem in notissimum cœli Generalis zelum Seraphicum ponens confidentiam, eundem constituit Executorem Apostolicum Bullarum suarum. puram ac literalem sacræ Regnæ Observantiam spirantium. Ab eodem Ponifice decoratus est Insulâ Episcopatûs Placentini, postquam gubernavit sacram Religionem usque ad annum 1682.

XIV. *Petrus Marinus Sormanus Italus*, non minus sanguine, quam scientiâ illustris, antea sacri Montis Sion Guardianus & Terræ sanctæ Custos, qui, absoluto jam prævio scrutinio, & quasi concluso negotio futuri Generalis, ex improviso superveniens, ne quidem restante integro ante ipsam Electionem die, drepentè omnium Eligientium corda suis eximijs virtutibus ad se traxit, præsidente Eminentissimo Cardinale Ludovico Portocarrero, tertii Ordinis S. P. Francisci, in Ministrum Generalem electus.

In primo gubernii anno Pastoralis sui zeli Authenticum dedit Ordini universo Testimonium per literas encyclicas apud *Gubernatis Tom. IV. fol. 273.* in quibus, præter alia prudentissimè ordinata, vel maximè tria Vota Evangelica, præsertim sanctissimam paupertatem, Seraphici Patris Sponsam amandissimam, Regulæ fundamentum, ac Religionis Ærarium, efficaciter commendavit.

Ad Romanorum Imperatorem *Leopoldum I.* in Germaniam ex commissione R. 2.

missione Apostolica profectus, suâ eloquentiâ tantum efficit, ut Augustissimus post receptam devotissimè è manibus Generalis sacram Synaxis, sanctè, etiam solenni injuramento, teste *P. Bauck in Vineæ Seraphica f. x86.* adpromiserit, omnem possibilem fere in recuperanda Terra sancta, præsertim sanctissimo Sepulcho D. N. I. C. operam adhibitum, respiciendo ad id in quoconque induciarum tractatu cum Turcis quandocunque incundo.

Idem Generalis anno 1685. in festo Portiunculæ Augustissimam Imperatricem Eleonoram Magdalenam, altissimè memorati Leopoldi I. conjugem, Viennæ in Austria: & eodem anno 19. Octob. in festo S. Petri de Alcantara Serenissimam Eleonoram Mariam, Reginam Poloniæ Viduam, ejusdem Leopoldi I. Sororem, Oeniponti in Tyroli Habitum tertii Ordinis induit. Promotus tandem ad Episcopatum Viguianensem in Italia, postquam rexit Ordinem usque ad annum 1688.

XV. *Marcus à Zarzosa Hispanus*, Lector Jubilatus & Concionator Apostolicus, qui tamen zelum suum nec integro biennio professus potuit, immatura morte summo totius Religionis dolore abreptus, in cuius locum Vicarius Generalis, quin imò per Breve Apostolicum declararus Minister Generalis, successit *Joannes Aluin S. Inquisitionis Qualificator*, & Episcopatus Placentini Examinator &c. &c. usque ad annum 1694.

XVI. *Bonaventura Boërius Italus*, ob præclarissimas animi dotes, teste *Julio à Venetiis* fol. 254. plenis Vocalium suffragiis, incredibili, & usque ad lacrymas tenero applausu in totius Seraphici Ordinis Generalem. Ministrum ritè, & canonice electus, ac simul per speciale Diploma Pontificium delegatus Commarius Apostolicus constitutus.

Hic statim ad initium ingressus sui cum toto Generali Capitulo per *Statuta Victoriensiæ* solenniter potestatus est, se velle, ut tota Seraphica Religio sacram Regulam literaliter, absque ulla dispensatione, observet, ac juxta Declarationes *Nicolai III.* & *Clementis V.* nec non juxta Constitutionem *Innocentii XI.* quæ incipit: *Solicitude Pastoralis Officii &c.* vitam suam instituat, in quem finem per sanctam Obedientiam, & sub Actuum legitimorum, atque Officii privatione præcepit Superioribus Localibus, ut saltē summarie ac in compendio, antedictas *Nicolai III.* & *Clementis V.* Declarationes à quolibet Novitio post

post recitationem Regulæ, antequam pro ejus Professione ultima Communis vota exquirantur, memoriter recitari faciant.

Intra quartum Generalatū annū denominatus fuit Archi-Episcopus Salernitanus, in cuius locū Vicarius Generalis substituebatur *Mathēus à sancto Stephano*, Vir in omni genere Doctrinæ clarus, qui in Capitulo Generali publicas Thesēs in præsentia multorum Eminentissimorum Cardinalium summā omnium Auditorum, in magna copia confluentium, admiratione sustinuit. Fuit ex gratia Pontificis declaratus Minister Generalis, & postea Episcopus in Cefalù Regni Siciliæ; sub cuius regimine totum illud sexennium erat absolutum usque ad annum

1700.

### Q U Ä R I T U R III.

*Qualia Capitula Generalia fuerint celebrata  
quinto Religionis Seraphicæ Sæculo?  
Respondeo sequentia.*

I. *Toleti in Hispania, electo in Ministrum Generalem Archangelo de Messano Italo anno* 1606.

II. *Romæ, electo Ministro Generali Joanne de Jero Hispano anno* 1612.

III. *Salmanticæ in Hispania, electo in Ministrum Generalem Benigno à Genua Reformato Italo, qui ex dispensatione Urbani VIII. Of- ficium per integrum septennium continuavit: prædictum verò Generale Capitulum fuit institutum anno* 1618.

IV. *Romæ, electo in Ministrum Generalem Bernardino de Senis Lusitano anno* 1625.

V. *Toleti in Hispania, electo in Ministrum Generalem Joanne Baptista à Campanea Italo anno* 1633.

N.B. Cur tantum temporis spatium intra præcedens & hoc Capitulum Generale ultra consuetum sexennium intercesserit, in præcedenti Quæsto circa Generalem *Bernardinum de Senis* videre poteris.

VI. Ro-

- VI. Romæ, electo in Ministrum Generalem Joanne Merinero Hispano anno 1639.
- VII. Toleti in Hispania, assumpto in Ministrum Generalem Joanne de Neapoli Italo anno 1645.
- VIII. Romæ, electo in Ministrum Generalem Petro Manero Hispano ex Aragonia, in quo Capitulo illud memorabile occurrit, quod inter tot Missiones, Operationes, & alias occupationes Fratrum, & cum eorum notoria Paupertate, ultra 2. millia *Illustrium Scriptorum* in Ordine fuerint numerata. *Marchant*, p. 2. fol. 161. anno. 1651.
- IX. Toleti in Hispania, Capitulo per Breve Apostolicum ad alterum annum dilato, & in Ministrum Generalem electo Michaële Angelo de Sambuca Reformato Italo anno 1658.
- X. Romæ electo in Ministrum Generalem Ildephonso Salizanes Hispano anno 1664.
- XI. Vallisoleti in Hispania, electo in Ministrum Generalem Francisco Maria Rhini Italo anno 1670.
- XII. Romæ, electo in Ministrum Generalem Josepho Ximenez Hispano anno 1676.
- XIII. Toleti in Hispania, electo in Ministrum Generalem Petro Marino Sormano Italo anno 1682.
- XIV. Romæ, electo in Ministrum Generalem Maco à Zarzosa Hispano anno 1688.
- XV. Victoriae in Hispania, electo in Ministrum Generalem Bonaventura à Boërio Italo anno 1694.
- XVI. Romæ, electo in Ministrum Generalem Ludovico de la Torre Hispano anno 1700.



QUÆ-

## QUÆRITUR IV.

*An sacram Regulam hoc quinto Sæculo Ordinis Corpus Seraphicum, sub Generali nostro ( qui in hodiernum usque diem intitulatur Minister Generalis totius Ordinis ) existens, literaliter absque dispensatione Apostolica observaverit ?*

RESPONDEO affirmativè: ita enim sompere urgebant Summi Pontifices; nominatim Gregerius XV. Urbanus VIII. Innocentius XI. & Innocentius XII. quorum zelum verè Seraphicum cum admiratione invenire poteris in Quæstio I.

Ita pariter instabant pientissimi Generales, singulariter Archangelus de Massana, Joannes de Jero, Benignus à Genua, Joannes à Neapoli, Michaël Sambuca, Bernardinus de Senis, Joannes Baptista à Campanea, Petrus Sormanus, Bonaventura Boërius &c. quorum indefessos labores, extirpandi irrepentes in quibusdam locis abusus, videre poteris in Quæstio II.

Ita demum apud Gubernatis & Julium à Venetiis apertis verbis nomine totius Religionis Seraphicæ expressè omnia Privilegia relaxativa non acceptando, ac Declarationibus Nicolai III. & Clementis V. literaliter Regulam explicantibus, insistendo, protestabantur non pauca Capitula Generalia in hoc sæculo celebrata, nominatim Toletanum & Romanum, quasi ad initium seculi ( id est anno 1606. & 1612. ) atque Victorinense quasi ad finem ejusdem sæculi ( id est anno 1694. ) instituta.

In Capitulo Generali Vallisoletano anno 1670. habito, apud Julianum à Venetiis fol. 119. leguntur formalia sequentia = Declarat imprimis & protestatur Capitulum Generale ( prout sapienter antea in aliis Capitulis declar-

declaratum est ) in nullo Regula precepto hactenus nobiscum dispensatum fuisse, nec Ordinem nostrum ullam unquam admisisse, vel admirtere dispensationem, sed potius velle pro viribus, Divino savente auxilio, illam purè observare juxta summorum Pontificum Declarationes, Communiter à Religione admissas, & signanter Nicolai III. & Clementis V.

## QUÆRITUR V.

*Quænam Memorabilia egerint Franciscani Regularis & Strictioris Observantie, quanto Ordinis Sæculo? Respondeo sequentia.*

I. IN Europa continuârunt verbis & scriptis in Cathedris Ecclesiasticis, & Pulpitis Theologicis contumaces confutare Hæreticos, nutantes in Fide firmare Catholicos, ac induratos gravissimos Peccatores ad agondam seriò pœnitentiam commovere. Sic præter plures alios.

Venerab. Servus Dei Bartholomaeus à Salutio Strictioris Observantiae, in Urbibus Italæ primariis cogebatur sub Clemente VIII. in publicis plateis concionari, eò quod accurrentium multitudinem Templa etiam maxima capere non possent, sub sequente semper suas ferventissimas conciones ingenti numero converrorum peccatorum; ita, ut communiter diceretur Felicitas Italia, Promotor salutis animarum, solarium afflictorum, eos Divini Honoris, Evangelica perfectionis complementum, & novus hujus sæculi Apostolus, de cuius Beatificatione agitur in Rotâ.

Antonius de Chagos seu de quinque Vulneribus Christi, unà cum Sociis adjunctis, universum Portugallæ Regnum, quasi pro tunc alteram Niniven (inquit Scriptor vitæ ejusdem) suis zelosissimis concionibus mutavit in melius, acclamantibus Episcopis & Populis novum Paulum ad omnium salutem à celo fuisse missum, nec sanctum Antonium Paduanum in Italia, nec S. Vicentium Ferrerium in Hispania majora perpetrasse in conversione animarum.

Joannes Babtista de Turrigia, Theologus omnino singularis, ab Urbano VIII. in Hungariam ablegatus, de mandato Apostolico tam

in Curia Imperiali, quām apud Principes pro tunc Transylvaniæ, Valachiaæ, & Moldaviaæ gravissima negotia pro Catholicorum inter Barbaros securitate, & constanti in Fide perseverantia felicissimè pertrahavit.

In Provincia *Austriaca* floruerūt inter plures alios hoc seculo *Carolus Weinberger*, *Ferdinandi II. Imperatoris* olim Ephæbus Aulicus, factus Franciscanus, ob præclaras virtutes ad Episcopatum Nazianzenum electus, mortuus anno 1618. & *Severinus Maller*, in Controversiis Fidei concionator adeò excellens, ut non solum magnum cumulum peccatorum ad meliorem vitam, sed & quām plurimos Hæreticos ad veram Fidem converterit. Obiit anno 1639. *Sannig pag. 6. fol. 176. & 199.*

*Franciscus Kemminger* in *Germania* superiori, acerrimus Hæresecos DebELLATOR, multa erexit Seminaria, ac per hæc & per 10. libros, ea propter editos, Catholicam Juventutem à venenata Hæreticorum lue præservavit.

Quod idem suis concionibus *Kelhamiæ* in *Bavaria* præstitit *Martinus Nägele*, 18. annis ibidem Guardianus.

*Martinus Leo* servidus Concionator, & Guardianus Ambergensis, ultra mille & sexcentas animas, Calvinistica pravitate infectas, ad gremium S. Matris Ecclesiæ sollicitè reduxit, nec antea mortuus, donec sui voti compos factus, quasi alter *Gregorius Nazianenus*, superiorem Palatinatum, suā & suorum Confratrum, aliorūmq; præsertim inclytæ Societatis JESU operā, ac industriā, integrè ad unitatem Fidei reversum anno 1653. conspexerit.

In *Vallibus Lucernæ* ad Montium radices, quibus Italia dividitur à Gallia nostrates *Strictioris Observantia* ex Decreto S. Congregationis anno 1631. pro conversione grassantium Hæreticorum, Missiones Apostolicas instituerunt, multiplicatîs Domibûs eo fructu desudantes, ut diminuto per maximè Hæterodoxorum numero integris etiam oppidis, à pestifera labe purgatis, Fides Catholica gloriösè revixerit.

*Franciscani Recollecti Gallia*, quasi totam suam Patriam ab *Hugonottis* seu *Calvinistis* expurgare, ut plurimū coadjuvârunt, ab Episcopis, ubicunque eos habere liceret, ad Urbes & Pagos destinati Missionarii, qui pariter uniti cum nostris Belgis fortiter restiterunt perniciofis,

ac ab Ecclesia damnatis erroribus Michaëlis Baii, & Cornelii Janjenii. Videantur Gubernatis Tom. II. Orb. Seraph. l. 7. v. 9. f. 448. n. 355. & seqq. & Tract. de Mission. antiqu. fol. 79. & seqq. Fortunatus Hueber in Menolog. Leo Wolf in suo Martyrologio, & Archivium nostra Provincia.

II. In regia Civitate Bamba, ac tota regione ejusdem nominis ad Africam spectante, Franciscani indefessa S. Evangelii prædicatione adeò multiplicarunt Neophytes Christianos, ut Sumi Pontifices proprios, & ab Episcopis Insulae S. Thomæ ( quibus antea subiiciebantur ) distinctos pro hoc Populo constituerint Episcopos, primitus ex hac ipsa Seraphica Religione assumptos, quorum principalis vocabatur Frater Michaël Baptista Rangel à Conymbria Strictioris Observantiæ Provincie S. Antonii, qui post messem plurimam, in horreum Domini Congregatam, non sine magna Sanctitatis opinione mortuus est anno 1602.

Michaëli Baptista substitutus fuit Episcopus Fr. Emmanuel Baptista de Observantia, Provinciæ Algarbiorum.

Huic tertius in Præsulatu Fr. Simon Mascarenus ejusdem Algarbiorum Provinciæ sub Greporio XV. anno 1621. successit, qui cum aliis suæ Provinciæ Religiosis illuc perveniens, depravatos Populi mores ( quod Antecessor ejus morte præventus adimplere nequiverat ) salutibus monitis & exemplis correxit, ac superstitiones, pessimè introducas, ut plurimum eliminavit.

In Insula Africana Madagascari, una ex maximis totius Orbis, PP. Recollecti Galli anno 1660. à Rege Christianissimo illuc destinati, non solum Mercatoribus, & Militibus Christianis in Spiritualibus inservierunt; verum etiam, quantum divina opitulante gratia poterant, Barbaros illos, Insulae Accolas, ferè bestiarum more viventes, ad Fidem Christianam adduxerunt.

In Ægypto P. Antonius à Pisticeja ex Reformata Bassilicatæ Missionum Præfectus, anno 1681. Cophrorum Patriarchæ Schismatico gravissimos suorum errores adeò doctè & efficaciter demonstravit, ut ab eodem Patriarcha, velut Orator illius, literis authenticis, magna cum pietate & reverentia, de concupita unione sui cum Ecclesia Romana concludentibus, fuerit Romam ad SS. Papam Innocentium XI. missus,

& à S. Congregatione de Propaganda Fide summa cum exultatione recep-  
tus, teste *Gubern. Tom. 2. fol. 447. n. 354.*

De cætero multi zelosi alii Franciscani, dilectissimam Christi Spon-  
sam, Ecclesiam, non solum morum innocentiam etiam in nigris Africa  
Terris conservârunt adhuc candidam; verum etiam proprio sanguine  
fecerunt rubicundam, præcipue invigilantes, ne cum Mauris permix-  
tim viventes ibi Christiani atro eorum colore quoad animam infice-  
rentur. Tales fuere *Franciscus Ziranus* à potentissimo Hispaniarum  
Monarcha unà cum P. Matthæo Aquira ad Regem Cuco in Africam, pro  
arduis Christi nra Religionis negotiis pertractandis, ablegatus, & hisce  
felieiter terminatis anno 1603. perfidè occisus.

*Joannes de Prado*, Missionarius Apostolicus, præter varia exquisi-  
ta tormentorum genera, ab ipsomet Rege Marochii anno 1631. rribus  
 sagittis confossum &c. & novissimè à *Benedicto XIII. BB. Martyrum*  
 Catalogo solemniter adscriptus.

*Josephus Toreulanus*, *Felix à S. Severino*, & *Antonius à Petra paga-*  
*nu* in Insula Suaquena propter Catholicam Fidem anno 1648. iussu Aë-  
thiopæ Imperatoris capite truncati; *Franciscus Terentianus* & *Cherubi-*  
*nus de Catalagirone* à pessimis Nigritis crudelissimo mortis genere extin-  
di, & postea ardore solis assati, ac brutali voracitate in escam abligu-  
riti. *Gubernatis Tom. II. fol. 452. n. 361. Fortun. in Menol. fol.*  
*1273. n. 2.*

Recentissimè narratur in Actis Sanctorum de Fr. *Petro Farde* Ord.  
Min. Recollectorum Prov. Fländriæ, qui iteratò ex obedientia in Terram  
Sanctam abiturus, à piratis Algeriensibus in mari captus, & Agades in  
Servitudinem deductus est. Ibi cum Domino suo Africano familiariter de  
rebus Fidei agere cœpit, cum tanto spiritu & effectu, ut illum, totam-  
que familiam ac pene ducenta variæ Fidei Mancipia Ecclesiæ Christi ad-  
scriperit; quâ re ad judices delata, in carcerem detrusus est, pôst  
nudus ducitur per Civitatem, ad singulos platearum angulos flagella-  
tur, ac tandem ad palum per brachia distenta in altum suspenditur, ha-  
bens ad utrumque pedem singillatim pondus appensum 40. librarum, ut  
corpus magis distenderetur, ubi iterum per omnem corporis partem  
sic cædebatur, ac si in sanguinis balneo imersus fuisset; ex quibus tor-  
men

mentis in carcere emortuus, vel alio modo occisus fuisset, nisi DEUS illum mirabiliter eduxisset.

Dein in suam Provinciam reverti cogitans, naufragium fecit, tribus diebus & noctibus in maris undis fluctuans, ad rupem appulit, quam ascendens per omnia nudus, aqua è cœlo cadente, & quibusdam pisciculis in rupis concavitate hærentibus undecim menses vitam protraxit. Inde mirabiliter à piratis præterna vigantibus in Sale delatus, & in Provinciam redux sui P. Provincialis obsequio in thermis Aquis granensis inserviens, febre obrutus, piissimè obiit 14. Junii anno 1691. ætatis sue anno 41. Ita in Act. SS. Bolland. Tom. 6. Junii in append. fol. 144.

III. In Asia, Thomas Obicius Novariensis: Franciscanus, Aleppi Præfector, pro Chaldaicâ natione, variis hæreticis doctrinis adhærente ad Apostolicæ Sedis Obedientiam reducenda totis viribus desudavit. Interfuit Synodo universalis, à Patriarcha, Archi-Episopis, & Episcopis ejusdem Populi institutæ, ut Commissarius Apostolicus, & anno 1616. propositis quotidie & singulatim discussis quibuslibet controversiis, sua dexteritate, prudentia & suavitate rem totam eò promovit, ut Syndicus universa omnium Suffragiis, ac nemine discrepante, dogmata Fidei Catholico-Romanæ humiliter suscepit, detestando execrabilis Nestorii aliorūmque errores.

Quæ lœtissima nova dum ad Romanam Curiam perlata sunt, Summus Pontifex Paulus V. imensò superflusus gaudiò, ferventissimas DEO egit gratias, qui per operam dicti Apostolici Viri innumeram multitudinem à pessimis errorum tenebris ad lucem veritatis infinita sua bonitate revocavit. Quæ acta Petrus Strozza, Pontificis tunc Secretarius, uno volume fideliter conscripta. Vid. Gubernat. de Mission. ant. fol. 517.

Nec prætereundus hic videtur zelus Seraphicus Operiorum Franciscanorum in Regno Infanatapan (*Hubn. in suo Lexico & Morery in Diction. histor. vocant Jaffanatapan.*) spectante ad Insulam Ceylan in Asiam sitam; ubi anno 1613. Hæres ejusdem Regni (*Constantinus in Baptismo vocatus, postea Franciscanus*) S. Fonte renatus fuit cum Regina Matre & duabus Filiabus, operâ nostri Ludovici à S. Didaco.

Hæc

Hæc conversio tot post se traxit subditos, ut ab anno 1624. usque ad annum 1627. per eosdem operarios septuaginta, & ab anno 1636. usque ad annum 1646. alia sexcenta animarum millia Fidem Catholicae suscepérunt. Videatur de his fusiis *Merchant. de 12. fundam.* pag. 2. fol. 116.

IV. In Japoniam, vastissimum Indiæ Orientalis Imperium, ex Insulis Philippinis circa annum 1600. cum aliquot Franciscanis Missionariis abiit P. Ludovicus Sotellus, regio sanguine oriundus, ac Strictioris Observantiae Alumnus. Hic Zelator animarum, profuso BB. MM. Japoniæ, Petri Baptista & Sociorum, sanguine, quasi generosus Elephas magis inflammatus, tandem fertilissimum Regnum Voxu penetrauit, ibique Regis, Optimatum, ac Plebis animos efficacissimis Christianæ Fidei argumentis ita convicit, ut plura millia Infidelium sacrum Baptisma reciperent, plurima Delubra destruerentur, & pro Fratribus quatuor Monasteria in Civitatibus *Meaco, Fuxino, Vesana, & Sacajo,* construerentur.

Æstimatio hujus Gentis erga *Sotellum* tanta sumpsit incrementa, ut tandem ab Imperatore Japonenium ad Monarcham Hispaniarum, & ab Idate Mussamune, Rege Voxuano, ad Sumum Pontificem Paulum V. regio apparatu, & nobilissimo comitatu 150. felicissimorum Japonensium, Legatus destinaretur. In reditu anno 1614. novâ contra Christianos presecutione, à Bonzis, seu Sacrificiis excitata, cum Sociis comprehensus, & post diuturnos carceris squalores rogô concreatus, exoptatam Martyrii coronam ab inconstantibus Barbaris reportavit; *Fortun. Menol. fol. 1641.*

Anno 1622. Richardus à S. Anna, Flander Recollectus, plurēsque alii Martyrii palmam ibidem obtinuerunt, postquam sexies centena millia Japonensium sacro Baptismatis Fonte abluerunt. Quantas hi, ante ultimum supplicium ærumnas in horrenda spelunca inclusi sustinuerint, ipsemet *Richardus* literis, ad suos Patriotas Belgas è carcere scriptis, explicat sequentibus = *Quamvis juxta tempus & labores minimus sim, DEUS tamen ter optimus ex sua superabundanti pietate, at liberalitate, me parem illis fecit, qui pondus diei & astus portarunt Anno jam penè toto horrendo in carcere detineor, viginti quatuor palmos longo, sedecim lato, desuper quasi absque tecto simul cum triginta duobus Franciscanis,*

ciscanis, octo Dominicanis, octo Jesuitis, & sex aliis. Nuper, ex relatione certa, sumus adjudicati morti, ut fumo & igne suffocari enecandis sumus. Sit DEUS benedictus in aeternum, qui me ex pulvere & Patria mea suscitare dignatus est, ut viderem magna ejus opera, & prodigia. Fortun. Hueb. in Menol. 26. Junii fol. 129<sup>a</sup>. Petrus March. fundamen. fol. 117.

V. In China, seu Sina pariter amplissimo Indiæ Orientalis Imperio Franciscani non solum quoad partem Aquilonarem, ab antiquis *Castayum* vocatam, primis statim Seraphicæ Religionis temporibus, strenue in Vinea Domini (juxta dicta in præcedentibus, Seculo II. pag. 64.) operati sunt, verum etiam Apostolicos suos labores, à Gentilibus istis longiori spatio, ex suggestione diabolica, interruptos, novissimis his temporibus, nimirum ad finem saeculi præteriti, ac in præsenti quoque versum fructuosè renovârunt.

Equidem Martinus de Valentia Indiæ Occidentalis Apostolus, collatis mutuò cum Archi-Episcopo Mexicano Joanne Zumeraga, Franciscano & Dominico Betanzos, Dominicanu, consiliis, iter hoc circa annum 1523. jam instituit irrito tamen semper conatu, DEO aliter disponente, ac executionem hujus sancti Zeli ad Confratres suos transserente, uti pariformiter circa annum 1552. expertus fuit. S. Xaverius, præclarissimæ Soc. JESU singulare jubar, in ipso Sinarum conspectu, nimirum in Insula Sanciana ante actualem ingressu sanctissime defunctus.

Saluberrimum hoc B. Martini de Valentia Franciscani, & S. Francisci Xaverii S. J. desiderium, DEO cooperante, omnium primi ex suis quoad novissima tempora executioni mandarunt, ex Franciscanis Petrus Alvarus, zelosus in nova Philippinarum Custodía Superior circa annum 1579. & ex Jesuïris Matthæus Riccius, Vir prorsus insignis, circa annum 1582. teste Nicolao Triganico ex eadem Societate Historico, qui lib. 2. cap. 2. subjungit, ab ipso Matthæo Riccio suis primo in Chinam ingressu repertos quosdam Fratres Minores in vinculis, quorum liberationem exitu felici procuravit.

Relinquendo jam ulteriores prælaudatæ Soc. JESU. ac aliarum quoque SS. Religionum, singulariter Dominicanorum & Augustinianorum, fructosissimas in China Operationes suis Historiis, ad propria diverto.

Petrus de Alvarez seu Alvarus prædictus, Strictioris Observantiae in Insulis Philippinis Custos, cum aliquibus ex suis Confratribus, contempto maris periculo, occiduâ Navigatione Cantonem & Xantum, duas maritimas Sinarum Provincias intravit, ac tanta virtute prima Evangelicæ veritatis semina sparsit, ut brevi maximam creverint in Messæ.

Verùm sanctissimo illo Petri Alvari attentato parvum post intervallum detecto, à Regiis Ministris & Idolorum Sacerdotibus, Naviimpositus coactus est abire Macanum, Insulam in Orâ Sinensi brevissimo aquarum intervallo à continete disjunctam, atque Lusitanis ad commercium pro tunc concessam, ubi etiam Ecclesiam & Conventum applau dentibus Lusitanis ædificavit.

Secundam Missionem in Chinam obtinuit cum ecto suis Consodalibus Fr. Hieronymus de Burgos, salutis animarum cupidissimus, qui in Cantonem delatus, vix post captam possessionem ab iratis Chinensibus, una cum suis dirâ fame, carcere, aliisque Ærumnis afflictus, pariter fuit circa annum 1582. Mocauum relegatus.

Tertiam Franciscanorum Missionem in Chinam, simul quoque ad Coccinoram, Maluccam, & Cambajam de speciali Mandato Gregorii XIII. anno 1584. suscepit Fr. Martinus Ignatius &c. & anno sequenti, de Superiorum licentia, Franciscus Montilla cum aliis Consodalibus.

Hos ad annum 1586. subsecutus est Fr. Joannes Baptista Pisauriensis cum amplissimis Privilegiis ad hunc finem à Sixto V. concessis, prout patet ex Bulla s. Ad uberes 15 Novemb. 1586. pro erectione Provinciae (antea custodiaz) Philippinarum expedita.

Aperuerunt quoque nostri in Conventu Manilla de Insulis Philippinis Scholam linguæ Chinensis, ut ad Missionem istam plures pro maiori Ecclesiæ utilitate disponerentur.

Hoc saeculo quinto Ordinis inter Franciscanos plurimos successivè ad excolandam hanc Vineam ex Insulis Philippinis, item ex Hispania, Italia, &c. & undique Terrarum copiosè missos, tota singularitate emicuit Antonius à S. Maria, non minus literatura, quam S. Zelo conspicuus, & ultra 36. annos fervidus in his Terris Missionum Præfectus, qui unâ cum suis, teste Gubernat. de Miss. ant. fol. 455. n. 301. usque ad annum 1670. Infideles innumeros veræ Ecclesiæ aggregavit, Oratoria, atque Domicilia non pauca pro Confratribus multiplicavit, ubi dicto

dicto anno 1670. piissimè in Domino obdormivit, Spiritu propheticō prædicens futurum in Præfectura Successorem Augustinum à S. Paschale.

Anno 1673. modò dictus *Augustinus à S. Paschale*, auditâ morte Fratris *Antonii à S. Maria*, relictis Archipelagi Insulis, quas concionando perlustraveras, illicò in *Chinam* sese contulit, ut suis æquè subditis Cnstratribus ac Neophytis succurrere posset, uti felicissimè legimus successisse, continuando labores Apostolicos cum maximo animarum fructu.

Anno 1680. ipsa S. Congregatio de Propaganda Fide, jussu Inno-centii XI. ex nostris Reformatis quosdam ad *Sinas* destinavit, tum vi-tæ probitate, tum scientia Theologica valde celebtes, quibus præfec-tit, & ut Episcopum Argolitanum in ipso Palatio S. Congregationis consecrari fecit Seraphicæ Provinciæ Alumnum *Fr. Bernardinum* (nō *Benedictum* uti aliqui vocant) de *Venetis*, seu dalla Chiesa, telle *Petr. Ant. à Venet. T. I. fol. 100.* Christinæ, Reginæ Sueciæ, Theologum.

Hanc Missionem alia Apostolica ex Franciscanis cum ecdem cha-ractere anno 1693. subsecuta fuit. Mentionatus Episcopus Argolitanus autem tam grandia pro DEI gloria & Ecclesiæ incremento præstitit, ut Episcopus quoque in Regno Chinæ primario *Pekin*, nec non Vica-rius Apostolicus constitui promeruerit super quatuor Provincias, quæ sunt quatuor Regna Chinæ amplissima, nimirum *Chè Kiang*, *Hù Kuang*, *Sù Chueng*, & *Kuei Cheu*;

In his non tantmodò plurimis Baptisma, sed & vel unico anno mille & trecentis in sola Provincia *Xantum* Confirmationis Sacramen-tum impertiit, exinde præclaras Operationes zelosissimi hujus Præfusilis, ultra 20. annos in his terris in Vinea Domini laborantis calculare licet, de quo *Aloysius de Contè*, inclytæ Soc. JESU, in libro *Nova memoria super presentem China statum intitulato*, meritò pronunciavit, Summum Pontificem ob raram virtutem, & eximiam capacitatem hujus viri, non potuisse aliud melius Subiectum ponere pro Capite adeò floridæ Chinensis Missionis.

Nec minorem hoc sæculo sibi laudem in *China* comparavít noster *Ioannes Franciscus Nicolai*, Strictioris Observantiæ S. P. Francisci, Vi-carius Apostolicus Provinciæ *Nam King*, & Episcopus Barutensis, qui propria,

propria manu ultra ter mille Gentiles Chinenses sacrâ Baptismatis undâ, solummodo intra biennium abluit, prætereundo ulteriores ejusdem frumentissimos Apostolicos labores, quos in his terris ab anno 1684. circiter usque ad annum 1688. indefessè continuavit. Vocatus Romam tanquam Procurator hujus Missionis, donominatus fuit Prælatus Domesticus Summi Pontificis, Vicarius Generalis in Vaticano Romano, & Myræ Archi-Episcopus. *Gubern. de Miss. Ant. fol. 451. & seqq.*  
*Petr. Ant. de Venet. Tom. I. fol. 100 usque 162.*

VI. *America*, seu *India Occidentalis* non pauciores hoc saeculo subministravit Neophyti Opera PP. Franciscanorum Regularium ac Strictioris Observantiae Ecclesiæ Catholico Romanæ incorporatos.

Sic *Alphonsus de Benavides* cum pluribus suis Consodalibus anno 1626, *Potos*, *Senecos*, *Socorros*, plurisque alios hujusmodi ignotos Populos sacro Fonte lustravit Anno 1627. Principem de *Guinia* cum uxore & liberis, ac postmodum *Xila* supremum Capitaneum & Subditos illius Principatus aquâ baptismali abluit.

Anno 1629. cum aliis Franciscanis ad *Apaches de Nouadio*, & *Apaches Vaqueros*, populosisimas & bellicosissimas nationes perveniens, Fidem Christi longè latèque disseminans, ubique sacras Crucès, Monasteria, Ecclesiæ, ac Scholas pro instructione Juventutis Indicæ extexit.

Patres *Johannes de Solas*, & *Didacus Lopez*, lucem S. Evangelii paulò post intulerunt in vastas regiones *America Borealis*, seu *Septentrionalis*, *Quivira*; *Xumani*, *Japies* &c. tanquam homines à DEO missi passim honorati à Gentilibus, quorum etiam unico die decem millia baptizârunt, gloriosam ob immensos Apostolicos labores mercendem in cælis anno 1636. recipientes. *Petr. Ant. à Venet. Tom. I. fol. 91. & 93.*

In *Brassilia* Missionarii Strictioris Observantiae seminando Verbum DEI, hoc non minus ac præcedenti saeculo, utilissime tam multos veteres Ecclesiæ aggregarunt, ut pro eorum in Fide conservatione, ac plurimum indies conversione, necesse fuerit, in medio effere, ac sine lege & Rege ante viventis nationis istius, duas completas erigere Provincias, quarum prima S. Antonii, altera vero *Immaculatae Conceptionis*, astu existunt.

*Insula Florida*, anno 1597. quinque Martyrum ex Seraphico Ordine sanguine irrigata, succendentibus aliis Franciscanis Operariis incæpit in Fide Catholica adeò florescere, tamque uberes proferre fructus, ut, teste *Fortun. Hueber cum aliis in Menolog. ad diem 8. Sept. citatis.* copiosæ Domus Missionum à nostris Patribus in utilitatem horum Gentilium plantatæ, brevi id est anno 1612. in integrum Provinciam *S. Helena in Florida* intitulatam, excreverint.

In *nova Francia Americana* seu *Canada* authoritate Summi Pontificis *Pauli V.* & Christianissimi Regis Galliæ assumpta fuit à Franciscanis, præsertim *Recollectis*, anno 1615. Missio Apostolica & post receptas de copioso ejusdem fructu noticias anno 1618. Brevi Pontificio confirmata.

Huic sub *Ludovico XIV.* accessit alia Gallica celeberrima Missio in latissima illa nova Franciæ Regione, quæ *Louisiana* vocatur, anno 1678. inventa, in quam Dominus *Robertus de la Salle*, Gubernator Fortalitii in *Frontenac* ibidem à se exstructi, anno 1682. *PP. Recollectos* Galliæ introduxit, non sine eximio animarum fructu.

Novissimè *P. Ludovicus Hennepin*, *Strictioris Observantie*, indeſſo labore famosum illum Fluvium *Mississippi* pernavigavit, quem ab Origine usque ad ejus Descensum in *Golphum*, sive *Sinum maris Mexicanæ* felici conatu ( à nullo antea in effectum deducto ) emen-  
ſuſest; de quo tuisius *idem in suis opusculis.* *Morery. dict.*  
*hist. V. Louisiane Gubernat. de Miss. ant. fol. 87. n. 31.*



SÆCU-

SÆCULUM VI.  
 ORDINIS SERAPHICI  
 ab anno M.DCC. usque ad  
 tempus præsens,  
 id est  
 usque ad annum M.DCC.XXI.

QUÆRITUR I.

*Quinam Pontifices vixerint sexto Ordinis  
 Sæculô; & quas gratias huic tribuerint?  
 Respondeo, uti sequitur:*

I. **C**lemens XI. Italus, antea Joannes Franciscus Albani; vir-  
 tutis æquè ac doctrinæ famâ celebratissimus, qui vix an-  
 num quinquagesimum primum excedens sumo, ac planè in-  
 sueto animorum, studiorūmque consensu electus est Pontifex, quam  
 dignitatem primum post Triduum à die electionis, adductus Doctorum,  
 Piorūmque Virorum consilio tandem suspiria inter & lachrymas recepit.  
 Beatissimæ Virginis MARIÆ amator fuit tenerimus, cuius festum Con-  
 ceptionis Immaculatæ, de præcepto imposterum ubique servari præ-  
 cepit per Bullam : *Commissi Nobis &c. Part. I.*, Bullarii dicti Pontificis Con-  
 stitut. 40. ac insuper per Breve *Ad angendam Fidelium Religionem* editum

tum 12. Augusti anno 1712. omnibus Christi Fidelibus confessis, & Sacra Comunione refectis concessit Indulgentias plenarias, si in Solemnitate *Immaculate Conceptionis*, utpote sub titulo hujus Mysterii totius Ordinis Seraphici unique & singularis Patronæ, aliquam Franciscanorū, aut Monialium sibi subjectarum, Ecclesiam visitaverint.

Beatam Catharinam de Bononia Clarissam, unà cum Beato Felice Laico Capucino Sanctorum Fastis adscripsit, illiusque Festum in Ordine nostro Seraphico ad duplex secundæ Classis evexit, ac plenariis Indulgenciis, in Franciscanorum Ecclesiis ab omnibus Christi Fidelibus utriusque sexus obtainendis, in perpetuum decoravit. Super cultu i[n]memoriali sancti Liberati de Lauro Ordinis Minorum Regularis Oblervantiae S. Francisci Decretum Congregationis SS. Rituum clementissimè confirmavit per Breve = *Alias & nuper*. Existente Generali in Familia Ultra-montana, pro Observantibus & Reformatis Familia Cismontanæ distinctos constituit Vice-Commissarios Generales zelosissimos; nimis pro Observantibus *Calestinum à Mediolano*, & pro Reformatis *Antonium Monte Buffo*. Recollectis Galliae, & Di[scal]ceatis Hispaniæ proprium Procuratorem Generalem, etiam in Capella Pontificia suum locum habentem concessit. Rexit Ecclesiam usque ad annum 1721.

II. Innocentius XIII. Romanus, antea Michaël Angelus ex antiquissima Familia de Comitibus, seu de *Conti*, Ordini Seraphico semper addictissimā. Tenerimum hunc affectum erga Franciscanos quasi jure sanguinis hereditatum altefatus Summus Pontifex & verbis & factis expressit. Verbis quidem per Bullam = *Religiosos Ordines &c.* die 16. Martii anno 1722, editam, ad Generale Capitulum convocatoriam, in qua inter alia leguntur sequenta: *Ordinem vestrum, Viris sanctitate, pietate, Religione sacrarum, eiusq[ue] ancillantium bonarum literarum scientia, ac proprie, aliena, nam salutis studio excimie præditis fulgentem, singularibusque in hac sanctam Sedem meritis conspicuum, peculiari Apostolice dilectionis affectu complectimur.* Factis vero eundem affectum ostendit, dum anno 1723. Majestate verè Pontificia Capitulo Generali personaliter præsidere dignatus fuit, assumptis secum Disquisitoribus quatuor Eminentissimis, & quasi præcipuis Cardinalibus *Pauluti, Corfinio, moderno Pontifice, Georgio Spinola*, pro tunc Secretario Statuum, & *Conti* ejusdem Sanctissimi Germano Fratre, *Andream Conti ex*

ex Ordine Minorum nos solūm sanguine, verū etiam vitæ austereitate, virtutum splendore, ac miraculis Illustrissimum in Beatorum numerum solennissimè retulit. Plures adhuc Pontifice dignas additurus gratias, juxta proprium suum effatum, nisi mors superveniens munificentiam istam ad Successorem transtulisset. Rexit Ecclesiam usque ad annum

1724.

III. Benedictus XIII. Romanus, antea Vincentius Maria de Ursinis, Ordinis Prædicatorum, qui uti ipsum Seraphicum Patrem, suum quoque sanctum Patrem sc̄pius intitulavit, ita erga Seraphicum Ordinem verè Clementissimum sese Parentem exhibuit ac Seraphici Patris S. Francisci Statuam marmoream in figura Regularis Observantiae Habitū solenni pompa in Vaticano, celeberrima Urbis & Orbis Basilica, erexit, solicite per Bullam & Universalis Ecolesie Regimini - invigilans, ut Filii tanti Patris vestigia quoque ejusdem, sublatīs, si qui alicubi irrepererint, abusibūs, arctè premerent. Fastos Ordinis multiplici Beatorum & Sanctorum Apotheosi decoravit, Hyacintham Marescotti tertii Ordinis Monialem, ac Joannem à Prado, Strictioris Observantiae, in Africa pro Fide Christi Martyrem, Beatorum numero, Franciscum Solanum verd, Indiæ Occidentalis Apostolum, nec non Jacobum de Marchia Italæ, Germaniæ, Hungariæ, aliarūque Nationum Missionarium & Contionatorem Apostolicum, Sanctorum Catalogo adscribendo, cui pro complemento S. Margaritam de Cortona, tertii Ordinis Pœnitentiae speculum, adjunxit. Sacrae Cardinalitiae Purpuræ decus Generali nostro Eminentissimo Laurentio Cozza, ac per ipsum, eximium Ordini universo splendorem contulit. Altaria privilegiata cum certis conditionibus in perpetuum nostris concessit Ecclesiis, aliāque plura, quæ brevitatis gratiā omittuntur, edidit. Rexit Ecclesiam usque ad an.

1730.

IV. Clemens XII. antea Laurentius Corsini, Florentinus, ab anno 1729. Ordinis nostri Seraphici Protector esse dignatus, 12. Julii anno 1730. in Summum Pontificem electus, in sui erga hunc S. Ordinem paterni amoris tesseram, licet gravissimis curis irretitus, Protecto- ratum necdum dimisit.

Quantum igitur omnium nostrū intersit continuis ferventissimis precibus cœlum pulsare, ut DEUS ter Optimus Maximus dignissimum hunc

hunc suum in terris Vicarium clementissimè protegat, ejusque vitam ad longèvos annos sanos, ac incolimes producat, nemo erit, qui dubitare possit.

## QUÆRITUR II.

*Quinam Generales fuerint currente hoc sexto  
Ordinis Sæculo?*

**A**Nte Responsonem nota, in præsentem numerum sub distincta Ciphra venire solūmodo illos Generales, qui canonice ut tales per Generalia Cepitula fuerunt electi, alii verò, qui sub idem tempus, Generalatu per mortem vel promotionem vacante, deputabantur tanquam Vicarii Generales, postea per Diploma Pontificium insigniti titulo Ministri Generalis, apponuntur præcisè post Electos. Hoc notatō Respondeo sequentes esse Generales.

I. *Ludovicus dela Torre Hispanus*, Lector Jubilatus, Ex-Secretarius Generalis Ordinis, & Vice-Commissarius Generalis Ultramontanæ Familiae, qui in primis statim Pastoralibus fatis manifestum fecit invariabile suum desiderium promovendi virtutem, Seraphicæ Regulæ Apostolicam excolendi puritatem, & eradicandi, ubi excreverint, abusum zizania; ast, dum vix per integrum annum in hoc sancto suo zelo continuavit, trunculenta mortis ascia florentissimam hanc arborem succidit die 13. Octob. 1701.

In cuius locum Vicarius Generalis successit *Ildephonfus Bierma* Concionator Regius, ac Catholicæ Hispaniarum Majestatis pro Immaculata Concepcione Theologus, & Indiarum Commissarius, qui ob eximia sua merita per Brve Apostolicum = Religionis Zelus. *Apud Julium à Venetiis* fol. 305. declaratus fuit Generalis, continuavitque hoc officium ad annum 1716. prorogato semper ex Apostolica ordinatione Capitulo Generali ob furentes per universam ferme Europam Belli tumultus.

Demum & is fatis cessit, atque novus Vicarius Generalis subrogatus

tus est, *Josephus Garzias*, Lector Jubilatus, in Regali Congressu pro Immaculata Conceptione Theologus &c. Ex-Provincialis Provincie Immaculatae Conceptionis, ac Secretarius Generalis Ordinis, qui per Breve Pontificium anno 1717. uti prior, decoratus titulo Ministri Generalis perduravit usque ad proximum Generale Capitulum anno 1723. sub Innocentio XIII. celebratum: demum factus Episcopus Seguntinus.

Ex dictis deducitur, quod Reverendissimus Pater Ludovicus de la Torre canonice in Capitulo tanquam Minister Generalis electus, unum cum Reverendissimis Ildephonso Biezma ac Josepho Garzia, tanquam talibus ex dispensatione Apostolica declaratis, gubernavit sacram Religionem à principio labentis saeculi usque ad annum 1723.

II. *Laurentius Cozza à sancto Laurentio Italus*, Lector Jubilatus, Custos Terræ sanctæ, ac Commissarius Apostolicus, sacræ Congregationis Indicis Consultor, supremæ & universalis Inquisitionis Romanæ Qualificator, nec non Observantium Cismontanæ Familiae Vice-Commissarius Generalis.

Floruit celebratissimus hic Vir non solum pietate, sed etiam scientia, per aliquot doctissimos libros typis vulgatos, præsertim persuam *Historiam Polemicam*, de Græcorum Schismate post Concilium Constantinopolitanum I. usque ad absolutam Generalem Synodum Florentinam, quatuor Tomis comprehensam.

Fuit in Ministrum Generalem electus præsidente ipsomet Summo Pontifice Innocentio XIII. qui eximia ejusdem in totam sanctam Romanam Ecclesiam merita, infra Quæst. V. memoranda, singulariter respexit. Prout & in præmium eorundem meritorum infra quartum Generalatus sui annum Pileo Cardinalitio à Benedicte XIII. donatus fuit.

In Generalem Vicarium, substitutus Reverendissimus *P. Matthaus à Pareta*, antea in Curia Romana Procurator Generalis, ex Rescripto Pontificio Ministri Generalis titulo insignitus, residuum sexennii tempus in gubernio Ordinis complevit. Novissime SS. D. N. Clemonte XII. ad denominationem Augustissimi Imperatoris Caroli VI. in Archi-Episcopum Panormitanum assumptus est. Hic igitur rexit Ordinem usque ad annum 1729. III,

III. *Joannes de Soto Hispanus, Lector Jubilatus, Catholicæ Majestatis pro Regali Immaculatae Conceptionis congressu Theologus, Ex-Secretarius Generalis Ordinis, ejusdemque Ex-Procurator Generalis, atque Familiae Ultramontane, & Indiarum Commissarius Generalis, qui omnium ferme Vocalium votis in eundem unanimiter conspirantibus gloriosissime electus fuit, presidente nomine Sancti Pontificis, non aliquo Eminentissimo Cardinali, sed ex speciali dignatione, veréque misericordia benignitate Sanctissimi, ipsomet Reverendissimo Patre Matthæo à Paretta pro tunc Generali.*

Pietas, doctrina, & nota regendi subditos experientia Reverendissimi Patris Joannis à Sotø per zelosas Pastorales ad initium Regiminis sui jam manifestatæ. Posteris nostris copiosissimam scribendi materiam subministrabunt, cui interim felicissimam gubernii continuationem demississime precamur.

### QUÆRITUR III.

*Quænam hoc tempore fuerint celebrata Capitula Generalia? Respondeo sequentia.*

I. ROMÆ in Conventu Ara-Cœlitano, cuius tamen Statuta Generalia, saltem à Familia Cismontana non sunt recepta, utpote non ratificata à Discretorio, prout ad eorum valorem requiritur. In Generalem electus fuerat Ludovicus dela Torre anno 1700.

II. Iterum ROMÆ, ex speciali dispositione Summi Pontificis Innocentii XIII. in Brevi convocationis Capituli Generalis de 26. Marti 1722. epressâ; alias enim debuisset; iuxta Ordinis Statuta Generalia, celebrari in Hispania. Dilatationis adeò notabilis inter hoc, & præcedens Capitulum causa erat armorum strépitus, totam ferme Europam occupans. Statuta, sive potius Decretâ Capituli Generalis equidem nec in hoc, sicuti nec in præcedeti Capitulo, erant Discretorio proposita; defectum tamen omne supplevit Benedictus XIII. per speciale Diploma *Ad Pastoralis dignitatis - editum an. 1729. 2. Maii. dummodo dictæ Constitutiones nō adversentur sacris Canonibus, Decretis Cœcili Tridentini & O-* dinati.

dinationibus Apostolicis sacram Reformam &c. concerentibus. In Ministerum Generalem electus est Laurentius à S. Laurentio an. 1723.

III. Mediolani, electo in Ministerum Generalem Reverendissimo Joanne de Soto anno 1729.

## QUÆRITUR IV.

*An moderno Sæculo Corpus Seraphicum Regularis & Strictioris Observantiae servet ad hæc usque tempora sacram Regulam absque dispensatione aliqua Apostolica?*

A Nte resolutionem videtur, non inaceptum fore Lectoribus, præsertim extraneis, si ipsis modernus Seraphicæ Religionis status præviè in compendio per Notanda exhibeat. Quate

Notandum I. quod ad hoc usque momentum omnes Fratres Minores, Regularis & Strictioris Observantia, vivant sub Obedientia nostri Generalis, qui post Bullam Unionis Leonis X. de anno 1517. singulis sexennis eligitur, quamvis præcedenter tempus sui regiminis non fuerit ad certos annos limitatum.

Notandum II. Quod totum hoc Corpus Seraphicum sub membrato supremo capite existens dividatur in Familiam Cismontanam & Ultramontanam. Sub Cismontana Familia nomine, juxta nostram computationem, comprehenduntur Franciscani intra Italiam, & ultramare: similiter ex parte degentes intra Germaniam superiorem cum Polonia, & Hungaria aliisque adjacentibus Provinciis usque ad Palæstinam, Ægyptum, & Æthiopiam inclusivè. Ultramontana autem, prout nos eandem appellamus, amplectitur residuum Corpus Religionis Seraphicæ trans Alpes à Gallia incipiendo, Belgum cum Germania inferiori, & una parte Superioris: Item Hispanias universas, atque ultra Fretum Gaditanum, quidquid per Africam, Asiam, & Americam ad terminos Orientis extenditur.

Notandum. III. Quod et si noster Generalis ab utraque Familia, per suos Provinciales, & Custodes in simul confluentes, eligi soleat, id tamen pro majori ad invicem Ordinis Harmonia juxta dispositionem Summorum Pontificium fiat alternative, ita nimurum, ut si primo sexenio Generalis fuerit de Familia *Cismontana*, altero assumi debeat ex *Ultramontana*.

Notandum IV. Præter allegatum Generalem ad regendum amplissimum *Corpus Regularis Observantiae* jam tempore Eugenii IV. anno 1443. fuisse institutos, & anno 1446. per Bullam *Ut sacra Ordinis Minorum &c.* efficacius confirmatos, duos *Vicarios Generales*, unum pro *Cismontana*, alterum pro *Ultramontana* Familia. Quinimmo etiam ante illud tempus, uti adverti apud *Martinum V.* fol. 40. inveniuntur apud Observantes, præter Generalem de Comunitate, *Vicarii* quidam *Generales* de *Regulari Observantia*, non solum nationis *Gallica*, verum etiam aliarum, et si non sub tali divisione, & cum tanta potestatis plenitudine. De quibus vid. *Gubernatis Tom. I.* fol. 300, & *Tom. II.* fol. 60. ac seqq.

Notandum V. *Vicarios* hosce *Generales* proximè explicatos defacto post Bullam *Unionis Leonie X.* non esse amplius in usu, sed loeo eorum introductos fuisse *Commissaries Generales Familiae*, taliter nimurum, ut si *Generalis* fuerit e. g. de Familia *Ultramontana*, is eandem regat, pro *Cismontana* autem à Franciscanis *Cismontanis* eligatur *Commissarius Familiae Cismontane*, qui ibidem Clavum teneat, cum dependentia tamen à *Generali* & vice versa.

Inde, cùm anno 1723. electus fuerit Minister *Generalis Reverendissimus P. Laurentius Cozza*, ex Familia *Cismontana*, eoque ad Cardinalatum promoto, ex eadem Familia suffectus Reverendissimus *P. Matthaeus à Parella*, nunc Archi-Episcopus Panormitanus, nullus tunc in *Cismontana* Familia (bene tamen in *Ultramontana*) erat *Commissarius Generalis Familiae*. E contra, dum in nupero Capitulo Generali Mediolanensi anno 1729. celebrato Revendissimus *P. Joannes de Soto* ex Familia *Ultramontana* in Ministeriatu*s Generalis officium assumptus* fuit, eodem tempore à Familia *Cismontana* pro *Commissario Generali* electus est Reverendissimus *P. Franciscus à S. Severino*, cui anno 1730. 20. Febr. è vivis excedenti, successit Reverendissimus *P. Crescen-*

centius Kripper, tunc Diffinitor Generalis, Provinciæ Austriacæ, Superior noster observantissimus.

His itaque prænotatis

Respondeo ad quæstionem, Nemini de statu Seraphico aliàs habenti notitiam posse de literali S. Regulæ Observatione prudens oriri dubium, præsertim si resciat solertissimam illam vigilantiam, quam zelosissimi hujus sæculi Summi Pontifices Clemens XI. Innocentius XIII. & Benedictus XIII. pro conservanda exactè S. Regulæ Observantia & Disciplina constanter habuerunt, prout ex dictis abundè constat.

Nec aliud à moderno glorioissimè regnante Clemente XI. expectati potest, utpote, qui Seraphici Ordinis Protectoratum in supremâ Dignitate ea solitudine clementissimè prosecutur, quâ eundem per 10. annos ut Cardinalis, cum maximo Religionis emolumento gerere dignatus est.

Pro dictorum confirmatione audiantur vel sola verba formalia Innocentii XIII. ad Generale Capitulum Romanum, cui præsidebat, clementissimè perorata sequentis tenoris: *Dilecti Filii: ubi promùm supremam Apostolatū Cathedram, licet immiserentes, concendimus, inter multiplices Pastoralis Officii solitudines NB. ad vestrum Seraphicum Ordinem studia nostra convertenda esse duximus, ad quem Beneficiis prosequendum tanto ardenter provocamur, quanto libenter mente repetimus egregiam laudem intemeratis Fratrum moribüs, Regularis Discipline Zelō doctrinaque salutari in universali Ecclesia sancto Instituto comparatam.*

Hanc plusquam paternam Summorum Pontificum vigilantiam sancto, veréque Seraphico fervore imitati sunt Reverendissimi hujus sæculi Generales, Comissarii & Vice-Comissarii zelosissimis Pastoralibus, ac Literis encyclicis incessanter urgendo, ut si alicubi in amplissimo hoc Ordine laxitates aliquæ seu abusus irrepsissent, illicò à Superioribus Provincialibus & Localibus sub gravissimis pénis, aliàs ipsimè infligendis, è medio tollantur.

Ad id ipsum vel maximè respexerunt tria Generalia Capitula suis Ordinationibus currente hoc sæculo usque huc celebrata.

Primum Romanum anno 1700. concretum, antequam ad alia processum erat, apud Julium à Venetiis fol. 293. n. 3. hæc formalia ponit: *Intimantur denuò omnes Apostolica & Ordinis Constitutiones, nec non*

*universa Decreta, Mandata, & Ordinationes Generalium Prælatorum concernentia puram Observantiam nostra Regula & paupertatis, qua omnia exactè serventur.*

Secundum Romæ anno 1723. cuius Præses ipsemet Sumus Pontifex Innocentius XII. esse dignabatur, Ordinationibus ibi factis præmisit, sequentia: *Protestatur Capitulum Generale, se profiteri ac observare Regulam S. P. N. Francisci secundum suam omnimodam puritatem, juxta Declarationes Nicolai III. & Clementis V. &c.*

Tertium demum Generale Capitulum, anno 1729. Mediolani institutum, ante omnia præcipit superiùs dicta, aliisque ordinata præcedentis Generalis Capituli, à Sanctissimo jam confirmata accuratissimè observari, ac pro Posteriorum memoria typis mandari,

## QUÆRITUR V.

*Quænam pro DEI gloria, & utilitate Ecclesiæ præstiterunt Franciscani Regularis & Strictioris Observantiæ hoc ultimo Sæculo?*

Respondeo, et si hoc sæculum nondum medietatem, quin imò nec tertiam sui cursus partem attigerit, nonnulla tamen apponere non inacceptum Lectori creditur, reliquendo plura, & forsan quoque digniora, doctissimis famosissimorum Ordinis nostri Chronologorum Luce Waddingi, & Dominici a Gubernatis Continuatoribus, plenam notitiam habentibus. Quare

I. De Europa universaliter loquendo, Franciscani non solum continuant, quæ datâ occasione, prudenter possibili, Hæreticos ad Gremium S. Matris Ecclesiæ reducere, verum etiam plures millions Catholicorum, tum zelosis concionibus, tum Sacramentali absolutione, à vinculis peccatorum suorum liberare.

Item Via Crucis, propter Indulgentias copiosas Ecclesiæ militantiæque

sequè ac purganti utilissima, & ad finem præcedentis sæculi in *Italiam*, ac *Hispaniam* passim introducta, pariter pro præsenti sæculo in *Germania* adeò florere incœpit, ut vel in sola *Bavaria* ab anno 1728. intra tam breve temporis spatum, ad 20. millia libellorum de sanctâ hac via tractantium, fuerint à Bibliopolis distracta. Crevit hæc devotio adhuc magis, quando modernus glorioſissimè regnans Pontifex Clemens XII. per Breve *Exponi Nobis* 16. Januarii anno 1731. editum dictas Indulgentias Viæ Crucis etiam ad extraneas Ecclesias sub certis conditionibus extendit.

In *Gallia* quantum hoc sæculo excita verint motum *Quénellii* Fautores, contra Constitutionem illam & *Unigenitus* & à Clemente XI. anno 1713. promulgatam, toti orbi Catholico lat notum est. Quamvis autem contra dictam Constitutionem Appellantibus aliquot Episcopi, ac non pauci Clerici Sæculares & Regulares diversarum Religionum adhæserint, nihilominus Franciscani Galli cum Belgis, non obstantibus gravissimis minis, pro summa Sede immobiles steterunt.

Satis ostendit eorum Fidei constantiam Declaratio illa, publicè typis edita, & Lovanii 13. Jan. an. 1719. cum approbatione reimpresa, in qua universo mundo imperterritè patescerunt, quanta cum reverentia & submissione Seraphicus Ordo S. Ecclesiæ decisiones dogmaticas in supremo suo Capite veneretur.

In hac Declaratione fundamentaliter demonstrant Francisci, quām male à minima parte aliquorum, contra totam reliquam Ecclesiam Episcoporum &c. Papæ Constitutionem humiliter acceptantium, appellatio intentetur; quām absurdæ sequelæ, in totam Catholicam Religionem redundantes, exinde sint processuræ; & tandem firmiter testantur, non solùm vi Obedientiæ, in S. Regula Sedi Apostolicæ juratæ, sed ex agnitione veritatis, & justissimæ decisionis Clementinæ, se malle quæcumque persecutio[n]es perpeti, quām à S. Sede in minimo separari.

In *Moscovia*, Græcorum erroribus dedita, Strictioris Observantiae S. P. Francisci zelosi Filii pariter novam Missionem aperuerunt, quorum S. Congregatio de Propaganda Fide per Decretum die 19. Augusti anno 1726. emanarum Missionarium Apostolicum in Civitate Peterburgi, ac in Provinciis *Ingria*, *Livonia*, & adjacentibus destinavit P. Stephanum

num Nicolam à Fundo Strictioris Observantiae, sub Directione & Praefatura P. Jacobi ab Oleggio ejusdem Ordinis.

In ultimis quasi Europe terminis, nimirum in Praefectura Constantiopolitana, præter plures alios Missionarios Apostolicos Franciscanos, maximè isto sæculo invigilavit Reverendissimus P. Petrus Baptista Mansi, Strictioris Observantiae, Archi Episcopus Cartagiensis, & in universo Patriarchatu Constantiopolitano Vicarius Apostolicus, ne Christiani in Gean-Cairo, Schmirne, Scio, Tine, Rhodi &c. item in Albania, Macedonia &c. & plurimis locis Turcici Imperii cum Mahometanis perserverentur. Obiit vix anno abhinc pientissime.

II. Hoc ipso sæculo etiam in Germania magis innotescere cœpit liber ille admiratione plenus, *Civitas DEI Mysica* intitulatus, quem Ven. Mater Maria à JESU S. Francisci Filia, & Conventus Immaculata Conceptionis in Civitate Agreda quondam Abbatissa, composuit, inspirante & dictante B.V. MARIA.

Quam stricto examine liber iste ex mandato P. Generalis Ildephonsi Salizanes fuerit censuratus, suprà apud eundem Generalem dictum est. Sed & præter Domestica, etiam Testimonia atque censuræ extranæ hujus Operis pretium affirmant, quales sunt R. P. Francisci de Almada Soc. JESU Ulyssipone in Portugallia. Reverendissimi P. Andrea Mendes, ejusdem Societ. Concionatoris Regii, SS. Theol. & S. Scripturæ Magistri in Salamanca, ac Examinatoris Synodalis Madriti. Reverendissimi ac Illustrissimi Domini Don Diego de Silva, olim Generalis SS. Ordinis magni Patriarchæ S. Benedicti, tunc Episcopi Gaditani. Reverendissimi P. Antonii de Morales, SS. Theol. Magistri ac Doctoris celeberrimi. Excellentissimi & Illustrissimi Domini Don Michaelis de Escartin Episcopi Tarragonensis S. Catholicae Majestatis Consiliarii Statutus, & Scriptricis hujus libri Dicecesani. Reverendissimi P. Michaelis de Elizalde Soc. JESU Theologi in Regio consilio Immac. Concept. Reverendissimi P. Thoma Sanchez ejusdem Soc. Concionatoris Regiae Majestatis &c.

Nec non Universitatum Salmanticensis, Complutensis, & Lovaniensis solidæ approbationes, quarum copia partim in ipsis Exemplaribus libri, partim in nostris Archiviis exhibentur.

Post plures itaque editiones *Hispanicas, Gallicas, & Italias*, etiam in *Germania* sub lingua vulgari anno. 1716. ac paulò post, nimirum anno 1719. Idiomate latino prodiit hic *Tractatus, Augustæ Vindelicorum, impensis Joan. Bernardi Benard* in lucem publicam editus, ab ipsis Censoribus plurimis encomiis exornatus.

Et licet nec liber iste, pro salute animarum fructuosissimus, nec ea, quæ eundem conscriperat, suis careat adversariis, videtur tamen illorum vis plurimum refracta per novissimum Decretum an. 1729. 21. Martii emanatum, sequentis tenoris:

*Sanctissimus D. N. Benedictus XIII. ad humillimas preces Postulantis causa Beatificationis, & Canonizationis Servæ DEI MARIE à JESU de Agreda, per Organum R. P. D. Piñoni Episcopi Imerie Sancti. sua Auditoris, mediante ipsius rescripto, sub infrascripta die mandavit, ut causa predictæ Serva DEI prosequatur in Sac. Rit. Congregatione absque novo examine librorum Mystica Civitatis DEI, eidemq; libri retineri, & legi possint. Et ita &c. die 21. Mart. 1729.*

III. Ab Europa deveniendo in Africam imprimis occursit celeberrima illa Missio, ab Innocentio XII. (uti supra Sæculo V. Quæst. I. n. II. dictum est) ordinata in *Abbasiam*, quæ & *Abbyssiniam*, vel *Ethiopia superior*, seu *interior*, ejusque Imperator *Magnus Sacerdos*, vel *Presbyter Joannes* communiter vocari solet. Hoc magnæ latitudinis Regnum, S. Apostoli Matthiae labore ad Christi Fidem convertsum, multis postea schismaticis & hæreticis erroribus fuit inquietatum.

Sæpiùs quidem, teste *Gubernat. de Miss. ant.* fol. 604. & seqq. tam à nostri Seraphici Ordinis, quam aliarum SS. Religionum Missionariis, unio cum Ecclesia Romana procurata, ob notissimam tamen Gentis illius inconstantiam semper iterum interrupta fuit: prout & (de antiquioribus temporibus adstrahendo) anno 1646. 1668. & 1697. omnes Romano-Catholici, ipsis sive Regibus & quibusdam Magnatibus invitis, à furiosa plebe ejecti sunt.

Anno 1700. hujus sæculi primo, & Innocentii XII. Pontificatus ultimo, iterum ad Monarcham hujus Imperii, ut Legatus Apostolicus missus erat P. Franciscus de Salesme Strictioris Observantiae, cui, in via mortuo, succedit P. Josephus Maria de Jerusalem, qui cum Socii

ciis suis ( inter quos erat P. Theodorus Krump, ex nostra Provincia Bavariae ) suam legationem feliciter absolvit , tam ab Imperatore , quam à Generali Monachorum S. Antonii Eremitæ potissimum Schismaticorum , benignè suscep tus , cùm uterque ad Religionem Catholicum es set propensus . Post aliquot menses , & plures conferentias tandem , divinâ gratiâ operante , 2. Febr. anno 1702. ipsem Imperator Adiam Sagbed Jasu , unà cum suo Secretario , Abate Gregorio Sacerdote Professionem Fidei in manus dicti P. Josephi depositus , eumque , ut suum Legatum , ad Summum Pontificem Clementem XI. cum literis de votæ submissionis remisit , simul aliquot , ex nobilitate Regni , capacis ingenii pueros commisit Romam deducendos , qui in ritibus Ecclesiasticis & Religionis fundamentis instructi , cum magna solennitate ab Eminentissimo Cardinale Sacripante S. Confirmationis Chrismate publicè inuncti fuerunt . Petr. Ant. de Venet. Tom. I. fol. 162. & seqq. P. Teodor. Krum in Descript. Mission. fol. 344. &c.

Alia Missio sub Clemente XI. in Africam instituta fuit cùm P. Liberatus Weiss , Franciscanus , natus Palatino-Bavarus , Provinciæ Austriae Alumnus , peracto plurim annorum laborioso itinere , tandem unà cum Sociis suis anno 1711. in Civitatem Gondar advenit . Exemptus suaviter à Rege , & , cum maximâ spe ingentis animarum fructus , benignè ac frequenter auditus fuit ; verum , instigante inferno , tam ipse Rex à tumultuantibus Subditis à Throno deturbatus , quam Patres illi , lapidibus obruti , gloriosam mortem oppetierunt .

IV. In Ægypto superiore hoc quoque sæculo nostri PP. pro reduncendis ad Ecclesiæ Ovile errantibus Cophtis indefessè laborârunt , quorum solummodo in urbe Gerges , juxta relationem an. 1723. obtentam per anni spatum 500. unà cum suo Episcopo : in Civitate Achmim vero , ultrà 300. publicè Catholicam Religionem sunt professi , non sine gravi tumultu , ab aliis pertinacibus Cophtis excitato , brevi tamen , ipsis Turcis opem nostris ferentibus sopito .

Denique non prætermittenda sunt insignia in totam Ecclesiam merita Eminentissimi Cardinalis piæ memor . Laurentii Gozze , olim Generalis totius Ordinis dignissimi .

Hujus dexteritate ac prudentia , pro tunc Guardiani Jerosolymitani , ac Delegati Apostolici non solum anno 1718. Patriarcha Alexandrinus

Samuel

*Samuel Capafolis à Chio abjurato Schismate ad gremium Ecclesiæ adductus fuit, Pallio Româ transmiso, maximæ Dignitatis Ecclesiasticæ Ornamento, sed ejusdem quoque studio & labore jam antea anno 1711. tota Antiochena Maronitarum Ecclesia, expulso Jacobo, legitimo suo Patriarcha, ad Schisma propendens, iterum fuit Summo Pontifici Clementi XI. reconciliata, & Jacobus suæ Sedi Patriarchali restitutus.*

V. In tribus Franciscanorum *Regularis & Strictioris Observantia* Provinciis *India Orientalis*, nimurum in Provincia *Matris DEI*, *S. Thomas*, & *S. Gregorii*, ut etiam in plurimis Domibus Missionum & Parochiis *Asie*, extendunt nostri Operarii indies Missiones suas, innumeræ quasi adjacentes Barbaras Nationes, densis errorum tenebris adhuc obtutæ, luce Evangelica colubrantes.

In *China* *P. Basilius de Gemona*, Strictioris Observantiae, hoc seculo gloriocissimos labores Apostolicos facta morte coronavit, qui propria manu ultra bis mille Gentiles ibidem sacrâ Baptismatis undâ successivè abluit, declaratus ab *Alexandro VIII.* Vicarius Apostolicus super amplissimam *Chinae* Ditionem *di Xensi*, in circuitu suo totam Italiam excedentem. Et licet copiosissima hæc animatum Messis, super seminante zizaniam salutis humanæ inimico, novissimè à moderno *Sinaturum Imperatore* non parùm fuerit diminuta, reperiuntur tamen quæcum plutes, etiam primæ nobilitatis, qui malint extrema quæque sufferre, quæcum Religioni Catholico-Romanæ, semel agnitiæ, renunciare.

In Regno *Camboja* seu *Cambogia*, ejusdem Indiæ Orientalis, anno 1724. novus fæse aperuit campus, plurimos Gentilium ad veram convertendi Fidem. Dum enim *P. Valerius Rist*, Strictioris Observantiae Provinciæ *Bavariae* Alumnus, ac Socius suus *P. Seraphinus de Borgia* ex Portugallia, ambo Missionarii Apostolici, in Regnum *Ihor*, destinati, sanctum prædicando Evangelium apud induratos Mauros ibidem, sectæ Mahometis à potiori addictos, surdas invenientes aures, ex mandato S. Congregationis inter gravissima maris pericula in *Cambojam* fæse cunctulerunt, in quo Regno Septingentos circiter Christianos, omnibus reliquis, cum ipso Rege, Gentilismi erroribus excæcatis, solum reperi-

rent sine Pastore, nam unicum quem habuerunt Clericum Sæcularem octo abhinc annis impius quidam ex ipsis Christianis Sicarius nefariè traditur occidisse.

Fuerunt tamen, hoc non obstante, à Rege, præsertim Seniore & Optimatibus magno honore excepti, ipsisque concessæ amplissime facultates per totum Regnum liberè prædicandi Evangelium, conferendi Baptismum, ubilibet erigendi Ecclesiæ, & in adjutorium plures vocandi ex Ordine operarios &c. Formalia concessionis inchoabant, uti sequitur :

*Potestas, Libertas, & Autoritas, quam Nos Nam Sandach Praquesa Prauncar, Rex Cambogia cum nostro Socero, ac nostro Filio pro nunc gubernante concedimus PP. Valerio Rist, & Seraphino à Borgia, qui venerunt de Roma ex mandato sua Sanctiratis in hoc nostrum Regnum ad surrendum Christianis, qui in illo existunt, & ad prædicandum & docendum suam S. Legem illos, qui de bona voluntate eam volunt amplexari: Et quia NB. primi Missionarii, qui fuerunt in isto Regno nostro, erant ejusdem Religionis, eosque nostri Antecessores estimarunt, & plurimum processerunt, Nos cum nostro Socero, & nostro Filio pro nunc gubernante, moti bona qualitate prædictorum Patrum ipsis sequentes facultates &c.*

NB. Hic eadem erant insertæ, superius jam saltem quoad principales in compendio relatæ.

Steterunt in hac Missione ultrà triennium, plurésque Gentilium baptizârunt, nec exigua affulgebat spes, Regem Seniorem ipsummet convertendi, qui sumo erga eos amore affectus, pro ipsis construi curavit Domum prope suum Palatium; ast mors ejusdem improvisa plures sanctissimos conceptus impedivit: etenim, uti sonant formalia P. Valerii Rist de dat. in Cambogia s. Junii an. 1726. insperatò quadam apoplexiâ ractus, in spatio dimidia hore, occlusa sibi loquela, ne (nempe P. Valerio) presente, & à sorore Regis ad altam vocato, vitam suam finivit.

VI. Quæna

VI. Quām copiosos in fertilissimo *India Occidentalis* agro fructus singulis annis progerminate faciant Franciscani Regularis, & Strictioris Observantiae, credo vel exinde in compendio deduci posse, si integras, & completas 17. Provincias, quas ibidem in medio Gentilium conservamus, denominavero in sequenti universalī omnia Provinciarum Ordinis, Tabula, signo " notatas.

## TABULA UNIVERSALIS Omnium Provinciarum Ordinis Minorum sub Ministris Generalibus totius Ordinis, in duas Familias pro feliciori gubernio distributarum.

### *Cismontane Familiæ.*

1. Provincia S. Patris Francisci Observantium.
2. Romana Observantium.
3. Marchiæ Observantium.
4. Tusciae Observantium.
5. Bononæ Observantium.
6. S. Antonii Observantium.
7. Genuæ Observantium.
8. Mediolani Observantium.
9. Principatū Observantium.
10. Septem Martyrum Observantium.
11. Siciliæ Observantium.
12. S. Nicolai Observantium.
13. S. Bernardi Observantium.
14. S. Angeli Observantium.
15. Dalmatiæ Observantium.
16. Candia Observantium.

17. Austriæ Reformatorum.
18. Bohemiæ Reformatorum.
19. Poloniæ Minoris Observantium.
20. Corsicæ Observantium.
21. Ragusii Observantium.
22. Brixiae Observantium.
23. Basilicatæ Observantium.
24. Hungariæ Sanctissimi Salvatoris Reformatorum.
25. Transylvaniæ Reformatorum.
26. Bosnæ Argentinæ Observantium.
27. Hungariæ S. Mariæ Reformatorum.
28. Terræ Laboris Observantium.
29. Tirolensis Reformatorum,
30. Calabriæ Observantium,
31. Albaniæ Observantium.
32. S. Didaci Observantium.
33. S. Thomæ Apostoli Observantium,
34. Vallis Mazzariæ Observantium.
35. Vallis Nethi Observantium,
36. Bavariæ Reformatorum,
37. Poloniæ Majoris Observantium;
38. Russiæ Observantium.
39. S. P. N. Francisci Reformatorum,
40. Romana Reformatorum.
41. Marchiæ Reformatorum,
42. Tusciæ Reformatorum,
43. Bononiæ Reformatorum,
44. S. Antonii Reformatorum.
45. Genuæ Reformatorum,
46. Mediolani Reformatorum,
47. Principatûs Reformatorum.
48. Septem Martyrum Reformatorum.
49. Siciliæ Reformatorum,
50. S. Nicolai Reformatorum.
51. S. Bernardini Reformatorum.

52. S. Angeli Reformatorum.  
 53. Poloniæ Minoris Reformatorum.  
 54. Corsiciæ Reformatorum.  
 55. Brixiaæ Reformatorum.  
 56. Basilicataæ Reformatorum.  
 57. Terræ Laboris Reformatorum.  
 58. Calabriæ Reformatorum.  
 59. S. Didaci Reformatorum.  
 60. S. Thomæ Apostoli Reformatorum.  
 61. Vallis Mazzariaæ Reformatorum.  
 62. Vallis Nethi Reformatorum.  
 63. Poloniaæ Majoris Reformatorum.  
 64. S. Vigilii Reformatorum.  
 65. S. Ladislai Observantium.  
 66. Bulgariæ Observantium.  
 67. Lituaniæ Observantium.  
 68. Custodia Terræ Sanctæ Observantium.  
 69. Custodia Constantinopolitana Reformatorum.  
 70. Missio Moscovitica Reformatorum.  
 71. Missio Russica.

### Familiæ Ultramontanæ.

1. Franciæ Observantium.
2. Franciæ Parisiensis Observantium.
3. Castellæ Observantium.
4. Saxoniam S. Joannis Baptista Recollectorum.
5. Saxoniam S. Crucis Recollectorum.
6. Turoniæ Observantium.
7. Turoniæ Pictavensis Observantium.
8. Aragoniaæ Observantium.
9. Argentinæ Recollectorum.
10. Aquitanæ antiquioris Observantium.
11. S. Jacobi Observantium.
12. Coloniæ Recollectorum.
13. S. Bonaventuræ Observantium.

14. Portugalliae Observantium.
15. S. Ludovici Observantium.
16. Hyberniae Strictioris Observantium.
17. Scotiaæ Observantium.
18. Danicæ Observantium.
19. Angliaæ Reformatorum.
20. Conceptionis in Hispania Observantium.
21. Britanniæ Recollectorum.
22. Bethicæ Observantium.
23. Burgensis Observantium.
24. Angelorum Observantiaæ.
25. Pietatis Observantiaæ.
26. S. Gabrielis Discalceatorum.
27. Carthaginensis Discalceatorum.
28. Flandriæ Observantium.
29. Thuringiæ Recollectorum.
30. Germaniæ Inferioris Recollectorum.
31. Algalbiorum Recollectorum.
- \* S. Evangelii in Mexico Observantium.
33. Majoricarum Observantium.
34. Aquitaniæ Recentioris Observantium.
35. S. Michaëlis Observantium.
36. Cantabriæ Observantium.
- \* Limensis 12. Apostolorum Observantium.
- \* S. Crucis Caracarum in Hispaniola Observantium.
39. Canariæ Observantium.
40. S. Andreæ Recollectorum.
41. Sardiniaæ S. Mariæ de gratis Observantium.
42. Valentiæ Observantium.
43. Cathalaunice Observantium.
- \* S. Joseph in Jucatan Observantium.
45. Arabidorum Discalceatorum.
46. S. Joseph in Castella Discalceatorum.
47. S. Antonii in Lusitania Discalceatorum.
- \* SS. Petri, & Pauli, de Mechoacan Observantium.

49. \* Sanctissimi Nominis JESU Quatema<sup>la</sup> Observantium.  
 50. \* S. Fidei in Nova-Granata Observantium.  
 51. \* Sanctissimæ Trinitatis de Chile Observantium.  
 52. \* S. Francisci de Quito Observantium.  
 53. S. Antonii Charcarium Observantium.  
 54. S. Joannis Baptiste in Hispania Discalceatorum.  
 55. \* S. Georgii de Nicaragua Observantium.  
 56. Granatensis Observantium.  
 57. S. Georgii Philippinarum Discalceatorum.  
 58. S. Pauli in Hispania Discalceatorum.  
 59. \* S. Francisci de Sacatellas Observantium.  
 60. \* S. Didaci de Maxico Discalceatorum.  
 61. \* S. Jacobi de Xalisco Observantium.  
 62. S. Bernardini in Gallia Recollectorum.  
 63. S. Dionisi in Gallia Recollectorum.  
 64. S. Thomæ in India Observantium.  
 65. \* S. Helenæ in Florida Observantium.  
 66. \* Assumptionis de Paraguai, & Tucuman. Observantium.  
 67. Immaculatæ Conceptionis in Gallia Recollectorum.  
 68. S. Mariæ Magdalena in Gallia Recollectorum.  
 69. S. Didaci in Boëtia Discalceatorum.  
 70. S. Francisci in Gallia Recollectorum.  
 71. Matris DEI in Malacca Discalceatorum.  
 72. S. Joseph in Belgio Recollectorum.  
 73. Sanctissimi Sacramenti in Gallia Recollectorum.  
 74. S. Joannis Evangelistæ Azoriarum Observantium.  
 75. S. Saturnini in Sardinia Observantium.  
 76. \* S. Antonii in Brasilia Discalceatorum.  
 77. S. Petri de Alcantara in Hispania Discalceatorum.  
 78. S. Antonii in Artesia Recollectorum.  
 79. Solitudinis in Lusitania Discalceatorum.  
 80. S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Discalceatorum.  
 81. \* Immaculatæ Conceptionis in Brasilia Discalceatorum.  
 82. S. Niclai in Lotharingia Recollectorum.  
 83. S. Bonaventuræ in Sabaudia Observantium.

84. Magnus Conventus Parisiensis, sub nulla Provincia, sed regitur à Generalibus.
85. Provincia Tertiī Ordinis in Bethica.
86. Provincia Tertiī Ordinis in Lusitania.
87. Provincia Tertiī Ordinis S. Francisci in Gallia.
88. Provincia Tertiī Ordinis S. Elzearii in Gallia.
89. Provincia Tertiī Ordinis S. Ludovici in Gallia.
90. Provincia Tertiī Ordinis S. Joannis in Gallia.
91. Provincia Tertiī Ordinis in Legione.

### *Custodiæ.*

1. Sanctissimæ Trinitatis in Gallia Recollectorum.
2. S. Paulini Novo Mexico Observantium.
3. S. Catharinæ Fluminis Viridis Observantium.
4. S. Antonii de Cochinchina Observantium.
5. S. Jacobi in Insula Madere Observantium.



TABU-

TABULA  
CHRONOLOGICA  
UNIVERSALIS  
<sup>DE</sup>  
ORIGINE,  
<sup>ET</sup>  
PROGRESSU  
RELIGIONIS  
SERAPHICÆ.

*ANNOTATIO.*

Hæc Tabula succinctè sub oculos ponit Synchronismum eorum, quæ hactenus in præcedentibus Quæstionibus dicta sunt: & quidem

- I. Seriem Summorum Pontificum ab initio Ordinis hucusque.
- II. PP. Generalium Ordinis.
- III. Memorabilia quædam Ordinis in *Compendio* relata.

## I. Pontifices mort. an.

Innocentius III.

1219.

Honорius III.

1229.

Gregorius IX.

1241.

Cœlestinus IV.

1241.

Innocentius IV.

1254.

Alexander IV.

1261.

Urbanus IV.

1264.

Clemens IV.

1268.

Gregorius X.

1276.

Innocentius V. Adrianus V. &amp;

1276.

Vice-Dominus, omnes mor-  
tuū

1276.

Joannes XX.

1277.

Nicolaus III.

1280.

Martinus IV.

1285.

Honorius IV.

1287.

Nicolaus IV.

1292.

S. Cœlestinus resignavit

1294.

Bonifacius VIII.

1303.

## II. Generales Ordinis.

usque ad an.

1. S. P. N. Franciscus

1226.

2. Elias depositus

1230.

3. B. Joannes Parens

1236.

4. Elias depositus 2dō

1239.

5. B. Albertus Pisans mort.

1239.

6. B. Haymo

1244.

7. Crescentius Picenus amotus

1247.

8. B. Joannes à Parma resignavit

1256.

9. S. Bonaventura postea Cardina-

1274.

10. Hieronymus ab Asculo dein

Card. &amp; Papa, Nicol. IV,

1279.

11. Bonagratia

1283.

12. Arlottus de Prato

1287.

13. Matthæus de Aquasparta post-

ea Cardinalis

1289.

14. Raymundus Gaufridi

1295.

15. Joannes de Muro Cardinalis

1304.

Benedi-

## III. Quaedam Memorabilia Ordinis.

|                                                                        | anno  |
|------------------------------------------------------------------------|-------|
| S. P. Franciscus Ordinem inchoat.                                      | 1209  |
| — erigit Ordinem S. Claræ                                              | 1212. |
| — abit ad Soldanum Ægypti, eumq; Christianis conciliat.                | 1219. |
| — Instituit Tertium Ordinem, & obtinet Indulgentia Por-                |       |
| tiunculæ                                                               | 1221. |
| — recipit impressionem SS. Stigmat.                                    | 1224. |
| — moritur                                                              | 1226. |
| — canonizatur                                                          | 1228. |
| SS. Berardus cum Soc. Marochii Martyrum subit                          | 1219. |
| SS. Daniel cum Soc. Ceptæ pro fide occiditur                           | 1227. |
| S. Anton. de Pad. Tyrannum Ezelinum compescit, & moritur               | 1231. |
| — canonizatur                                                          | 1232. |
| S. Elisabeth Hungar. canonizatur                                       | 1235. |
| Fr. Agnellus primus Episc. Maroch. cui succedit Fr. Luperus &c. &c.    | 1246. |
| Fr. Laurentius baptizat Regem Sartaco, & Tartariæ Chamum               | 1248. |
| S. Clara canonizatur                                                   | 1255. |
| S. Bonaventura instit. primas Confraternit. pro Laicis sub titulo Con- |       |
| falonis B. V. M.                                                       | 1264. |
| Laurentius fit Episc. Ceptæ                                            | 1267. |
| S. Bonaventura fit Cardinal.                                           | 1271. |
| — dirigit Concil. Lugdun.                                              | 1274. |
| Declarat. Nicolai III. Exiit qui seminat &c. edita                     | 1280. |
| Hieronymus ab Asculo missus pro reduct. Imperat. Mich. Paleologi       | 1272. |
| — fit Generalis                                                        | 1274. |
| — Cardinalis                                                           | 1278. |
| — Papa Nicol. IV.                                                      | 1287. |
| Jacobus à Rosario convertit Hayton II. Regem Armeniæ post hæc fa-      |       |
| ctum Franciscanum                                                      | 1294. |
| In China Aquilonari, seu Cathayum, circa finem hujus seculi magna      |       |
| operatorus est Joannes de Monte Corvino.                               | 1294. |

| I. Pontifices mort. an.                                                                     |       | II. Generales Ordinis.<br>usque ad an.                |
|---------------------------------------------------------------------------------------------|-------|-------------------------------------------------------|
| Benedictus XI.                                                                              | 1304. | 16. Gondisalvus de Vallebona<br>1313.                 |
| Clemens V.                                                                                  | 1314. | 17. Alexander ab Alexandria<br>mort. 1314.            |
| Joannes XXII.                                                                               | 1334. | 18. Michaël Cæsenas depositus ab<br>Joan. XXII. 1329. |
| * Petrus Corbarius Antipapa dictus<br>Nicol. V. ultrò se submisit 1329.<br>obiiit.<br>1333. |       | 19. Gerardus Oddonis Patriarch.<br>Antioch, 1342.     |
| Benedictus XII.                                                                             | 1342. | 20. Fortanerius Cardinalis 1348.                      |
| Clemens VI.                                                                                 | 1352. | 21. Guilielmus Farinerius Cardi-<br>nalis 1357.       |
| Innocentius VI.                                                                             | 1362. | 22. Joannes Buchius mort. 1358.                       |
| Urbanus V.                                                                                  | 1370. | 23. Marcus de Viterbio Cardi-<br>nalis 1366.          |
| Gregorius XI.                                                                               | 1378. | 24. Thomas de Farignano Cardi-<br>nalis 1372.         |
| Urbanus VI.                                                                                 | 1389. | 25. Leonardus de Rubeis Cardi-<br>nalis 1379.         |
| * Robertus Antipapa contra Urba-<br>num VI. Clemens VII. dictus obiit<br>1394.              |       | 26. Ludovicus Donatus Cardi-<br>nalis 1383.           |
| Bonifacius IX.                                                                              | 1404. | 27. Petrus de Cassana 1385.                           |
| * Petrus de Luna Antipapa Benedi-<br>ctus XIII. vocatus obiit<br>1423.                      |       | 28. Martinus de S. Georgio 1387.                      |
|                                                                                             |       | 29. Henricus Alserius<br>Inno.                        |

## III. Memorabilia Ordinis.

|                                                                                                                                                                | anno              |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------------|
| Joan. Duns Scoti disputatio pro Immaculata Conceptionis B. V. M.<br>Parisiis habita                                                                            | 1304.             |
| Eiusdem discipuli insignes florüre hoc saeculo : Joannes de<br>Ripa. Franciscus Majoranus. Antonius Andres. Galfre-<br>dus dela Fuente. Hugo de Castro &c. &c. |                   |
| Joannes de Monte Corvino, Orientis Apostolus vocatus, Cobylam<br>Imperatorem Tartarorum baptizat circa                                                         | 1305.             |
| Declaratio Clementis V. & Exivi de Paradiso & edita                                                                                                            | 1311.             |
| Odoricus Forliviensis ex Medis, Persis, Indianis &c. ultra 20000. ba-<br>ptismate abluit mortuus                                                               | 1331.             |
| Terra sancta Custodiæ Fratrum concessa circa                                                                                                                   | an. 1336. & 1342. |
| Nicolaus Liranus famosus, Commentator in Sacra Scriptura mo-<br>ritur                                                                                          | 1340.             |
| Mich. Cæsenas & Guil. Occamus Ludov. Bav. contra Joan. XXII. ad-<br>harentes, obierunt poenitentes Monachii an. 1342. & 1347.                                  |                   |
| In Bulgaria & Confinibus intra 50. dies ultra 200. millia à FF. Minor.<br>conversa sunt                                                                        | 1366.             |
| Paulus de Trincis ( alias Paulutius ) fundamenta Regularis Observan-<br>tiæ ponit                                                                              | 1368.             |
| Schisma 40. annorum in Ecclesia inchoatum electo Urbano VI. 1378.                                                                                              |                   |
| Lithuanie Rex Jagello cum toto Regno per Fratres in fide instru-<br>ctus                                                                                       | 1386.             |
| Bonifacius IX. Indulgentias Portiunculæ Clarissimæ in Anger extendit<br>ad 4. dies                                                                             | 1401.             |
|                                                                                                                                                                | Alber-            |

| I. Pontifices mort. an.                                                                                  | II. Generales Ordinis,<br>usque ad an.                                                                                                                                                     |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| Innocentius VII. 1406.                                                                                   | 30. Antonius Angelus de Pereto<br>Hieronymus 1420.                                                                                                                                         |
| Gregorius XII. depositus in Conc.<br>Pisano 1409.                                                        | Cœsiliatum Generalis capitulo in Basileia<br>Cœsiliatum Concilium interpositum in Regione apud<br>Godesco Concilio 14. Minores<br>Dissimilis ieiuniaris accessi sunt Optime etiam<br>summa |
| Alexander V. 1410.                                                                                       |                                                                                                                                                                                            |
| Joannes XXIII. exauktoratus in<br>Concil. Constant. 1415.                                                | 31. Angelus Salveto 1423.                                                                                                                                                                  |
| Martinus V. 1431.                                                                                        | 32. Antonius de Massa Episcopus<br>Massan. 1430.                                                                                                                                           |
| * Aegidius Antipapa sub nomine Cle-<br>ment. VIII. intrusus 1423. se sub-<br>miss. Martino V. anno 1424. |                                                                                                                                                                                            |
| Eugenius IV. 1447.                                                                                       | 33. Guilielmus de Casali 1442.                                                                                                                                                             |
| Nicolaus V. 1455.                                                                                        | 34. Antonius de Rusconibus 1449.                                                                                                                                                           |
| * Amadous de Sabaudia Antipapa<br>intrusus contra Engen. IV. & Ni-<br>sol. V. se ultrò submisit<br>1449. | 35. Angelus Serpetrus 1453.                                                                                                                                                                |
| Calixtus III. 1458.                                                                                      | 36. Jacobus de Mosanica 1457.                                                                                                                                                              |
| Pius II. 1464.                                                                                           | 37. Jacobus de Sarzuela 1464.                                                                                                                                                              |
| Paulus IV. 1471.                                                                                         | 38. Franciscus de Ruvere post Pa-<br>pa Sixtus IV. 1469.                                                                                                                                   |
|                                                                                                          | Sixtus                                                                                                                                                                                     |

## III. Memorabilia Ordinis.

|                                                                                                                                                                                                                                                                                                                     | anno        |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------|
| Albertus IV. Archidux Austr. suscipit Ordinem Equit. S. Sepulchri<br>Hierosolymis                                                                                                                                                                                                                                   | 1401.       |
| Capitulum Generale celebratum Monachii in Bavaria                                                                                                                                                                                                                                                                   | 1405.       |
| Concilium Constantiense inchoatum                                                                                                                                                                                                                                                                                   | 1414.       |
| Ab eodem Concilio FF. Minores viventes in Religione absque<br>Privilegiis relaxatibus vocati sunt Observantes circa<br>annum                                                                                                                                                                                        | 1415.       |
| P. Joannes de Baëza venit ad Insulas Canarias                                                                                                                                                                                                                                                                       | 1417.       |
| ad quas S. Didacus missus est anno 1441. sub sequente utro-<br>bique copiosissima animarum messe. Fratres Minores illi de<br>comunitate, qui antea à Martino V. Claustrales intitulaban-<br>tur, per Eugenium IV. nomine proprio, & tanquam ab<br>Observantibus distinctivo Conventualeſ vocati sunt circa<br>annum | 1431.       |
| Conventualeſ primò ſic vocati ab Eugénio IV.                                                                                                                                                                                                                                                                        | 1431.       |
| In Concil. Florent. multa præstiterunt Franciscani, quod Ferrarieſ in-<br>choatum                                                                                                                                                                                                                                   | 1437.       |
| Albertus de Sartiano Joan. Palæologum ad Concil. Florent. per-<br>duxit                                                                                                                                                                                                                                             | 1438.       |
| Jacobus de Prímadicio Patriarcham Armeniæ, & Antonius de Troja<br>Patr. Syriæ convert.                                                                                                                                                                                                                              | 1438. 1442. |
| Divisio Observ. in Cif- & Ultra-Montanos                                                                                                                                                                                                                                                                            | 1443.       |
| S. Bernardini canonizatio                                                                                                                                                                                                                                                                                           | 1450.       |
| Viennæ FF. de Observant. acquirunt Domum an-                                                                                                                                                                                                                                                                        | 1451.       |
| Bulla Concordiæ Callisti III.                                                                                                                                                                                                                                                                                       | 1455.       |
| S. Joannes Capistranus venit Viennam 1451. ibi celebraſ Capitulum<br>1454. moritur                                                                                                                                                                                                                                  | 1456.       |
| Paulus II. omnes gratias ab antecessoribus suis Ordini collatas, con-<br>firmat, per Bullam Inter ceteros                                                                                                                                                                                                           | 1465.       |
| Grypho de Flandr. Patriarch. Maronitarum convertit miraculo solis<br>retrogradientis                                                                                                                                                                                                                                | 1475.       |
*Germanis, Sarmatis, & Pannonibus* Monasteria construxit, langventemque jamjam Dei timorem, & cultum Divinum instauravit, justumque exercitum Cruce signatorum ex his Regionibus pro dicta expeditione confлавit. Hac ipsa tempestate, cum *Illustrissimus Comes Joannes Corvinus*, Hungariæ Pater, vindéxque Christiani nominis, ad *Ladislauum* hujus nominis Quintum Hungariæ Regem *Viennam* prosequens esset, ibique B. Patris *Capistrani* (à quo ad inferendum Turcis Bellum, veluti à stimulo Divino incitabatur) Sanctitatem prægustasset, compositis rebus, illum in Hungariam secum deduxit, ut ipse humanis, alter verò Divinis intenderet rebus.

Rumor mox affertur, *Mahometem* jam superatō *Hemō* per *Triballos*, & *Istrum* centum, & quinquaginta hominum millia ducere ad obsidēdām *Albam* - *Grecam*. *Illustrissimus* verò *Comes Joannes Corvinus*, & *Beatus Joannes Capistranus* infractō animō cum suis uterque Exercitibus properat. Obsidetur *Alba*, Barbarus oppugnationem adoritur, quatit die, nocteque mœnia, nihilque otii Civibus reliquum facit. *Beatus Joannes Capistranus* ex adverso Crucifixum amplexus ad salutare prælium suos suppliciter hortatur, Divināmque illis opem adpromittit. *Pientissimus Corvinus* cum suis pugnat acerrimè, sed superveniente nocte prælium interrupitur, & altera luce redintegratur; Post hanc pugnam, quæ vi-ginti quatuor horis, sine ulla intermissione durabat, *Mahometes* quadraginta quatuor Milicū millia amisit, paucissimis Christianis interim desideratis; Amissis pariter omnibus belli tormentis, usque adeò ingemuit, ut præ vitæ molestia venenum sibi porrigi jussérunt: Quod cum amici recusarent, timidus, remissus, ac pectore saucius sub papilla, incensis Castris turpem arripuit fugam, neque venerat animō tam elatō, quam abiit consternatō. Et qui se *terrorem Orbis* edixerat appellandum, à parva fusus, fugatúsque est manu.

Per celebris hæc victoria, absque ulla ambage virtuti Divinæ adscribenda venit, cum multa cœsorum corpora, sine ullo vulnere reperita fuerint; Ex qua quidem victoria ad Salvatoris Imaginem, ac tremendum Nomen JESU, maxima Hungaris accessit devotio. Rationabiliter igitur deducimus ex dictis, B. Joannem Capistranum duabus Provinciis Hungariæ, nomina indidisse, uni, *Sancte Marie*, alteri, *Sanctissimi Salvatoris*, qui à *Nicolao Quinto Summo Pontifice*, Annō 1455. in Germaniam missus fuerat, rebūsque ibi confectis, has quoque partes per-

peragrans, modò dictas Provincias reformavit, ac Regularem in easdem introduxit observantiam.

## Q U Ä S T I O S E C U N D A .

*Quamdiu duravit antiqua Custodia Transylvanica Sanctissimi Salvatoris,  
quidque cum illa successu temporis actum?*

## S. I.

**N**ON judicamus nos rem ingratam facturos, si benvolo Lectori quidpiam de rebus Hungariæ paucis proposuerimus, antequam ad scopum propriùs accedamus.

Posteaquam Turca juratus Christiani nominis hostis, Annô 1453. captâ Constantinopoli, adjacentia etiam circumquaque Regna suo subjugasset Imperio in viciniam Hungariæ penetravit, ubi perdidissimus Vicinus non contentus feliores Regni partes in dies sibi subjicere, donec etiam coronatum Regem Iudovicum, & septem Insulatos Pontifices, Archi-Episcopos Strigoniensem, & Colocensem, Episcopos Váradensem, Pétensiensem, Jaurinensem, Csanádensem, & Bosnensem cum plurimis Regni Proceribus uno die, eodemque confliktu in campo Mohácsieni, Annô 1526. deleret; Qua clade duo exitialia mala intulit Hungariæ, unum, quod Coronam ejus sciderit, alterum, quod Fidem etiam Romano-Catholicam penè exciderit; Coronam, quia cùm in electione Successoris Regni Proceres laborant, dissidiò inter ipsos orta, pars una Ferdinandum Austriacum absentem in Regem adsevit, pars altera Joannem Zapolium Vajvodam Transylvaniam præsentem de legit, quem tamen Regale Solium capessentem, Ferdinandus manu validiore superveniens extrusit. Léwanff. hist. hung. lib. 8.

## S. I I.

**Z**Apolius Sulimanni Turcarum Imperatoris nuper triumphantis auxiliò fretus, contra Ferdinandum tories, quoties necessitas postularer sese vindicavit quoad vixit, facinusque hoc iniuriore cumulavit, dum filiolum infantem ex suo nomine Joannem vocatum, morti proxim-

proximus Sulimano in tutelam commendavit, quo sub titulo pertidissimus Tutor, Budam Regalis Solii Metropolim pro Regia Prole conservandam extunc placide intravit, satisque diu cum maximo rei Christianæ detimento tenuit, quo ex tempore victoriis tumens, Transylvaniam quoque tributariam faciens, Regibus Hungariae terga vertere, & contra eos toties, quoties juberet arma stringere coegerit.

### §. III.

**I**dem Tyrannus, clade mox memorata occasio fuit, ut Fides Romano-Catholica, in tota Hungaria penè exscinderetur, nam ubi duo Reges mutuò armis sese insequantur, concomitantibus partium studiis, ut unusquisque ipsorum sibi adhaerentes, in officiis ac fidelitate ad interim continere possent, sepositâ tantisper curâ avitæ Religionis, dissimulant quam quisque sequi velic nuper invectam, & jam gliscentem Religionem.

Invisibilis quoque humanæ salutis Adversarius, capta hac occasione pro suo Regno dilatando consilia init, vires exerit, bellumque infensius movet, astum Piscatorum imitatus, qui uncō, escā Piscibus gratā, cooperato incautos decipere consvererunt; Non secūs, & hic versutissimus animarum Piscator Diabolus, temporalium bonorum immodicō desideriō inescans animos, quō eorum gratiā, & Cœlo, & ipsi Deo faciliū nuncium mitterent, omni conatu adlaboravit, in his vel maximē rerum circumstantiis, ubi bonis aliorum absque sui labore, & industria partis, potiri quotusquisque posset. Primores, potentioresque Regni Proceres inescavit possessionibus, Bonisque Ecclesiasticorum non modò virā functorum Antistitum, verū etiam superstitem, tam præsentium, quam etiam absentium violenta manu arreptis, & inter se se divisis.

### §. IV.

**N**E verò hujusmodi bonorum usurpatores sibi conscientiam, scrupulūmque mordentem facerent, nova dogmata Arrii, Lutheri, & Calvinī sub tempestate disturbiorum, armorūmque strepitu sub hæc tempora in Hungariam invecta amplectuntur, quorum Praecones, pari passu, codémque tenore spargunt, Arces, Castella, Pagos, aliásque Bono-

Bonorum temporalium fundationes, ab Ecclesiasticis, & Religiosis non licetē possideri, eò, quòd Apostoli hujusmodi bona non possederint, ideoque jure merito eos talibus privari, ac Apostolico vivere more conveniat. Dum igitur alius Magnatum post *Lutherum*, alius post *Calvinum* ad placitum abeunt, ecce totus Vulgus ad libertatem pronus eosdem certatim, & plaudendo sequitur, sese invicem sic cohortantes: Non amplius tot festa recolenda, tot jejunia observanda, Præcepta Decalogi observatu impossibilia, & quid non? sufficere proinde etiam pejerando asserere, crederéque sese de numero esse Electorum, et si scelleratissime quis vixerit, vitamque pari clauserit eventu.

Latam hanc, & spatiostam viam tota ferè *Hungaria* cum *Transylvania* brevi temporis intervallo est ingressa, adeò, ut nulla Civitas, Oppidum alicujus considerationis nullum, vel Vicus reperiatur horum novorum, ac plausibilium dogmatum expers, præsertim in *Transylvania*, paucis exceptis, de quibus infra.

### Q U Æ S T I O T E R T I A.

*Quibus partibus Transylvania nova Dogmata incendium intulerint?*

#### §. I.

**Q**uod arundineto succenso plerumque evenire consuevit, ut vento concitatō, copiosiores ejus partes vehementiori flamma concrementur, ubi non tantum stipitibus in medio incendii consistentibus, & ad resistendum validioribus, sed etiam fruticibus tenuioribusflammā in aliam partem deflexā parcitur: Non secūs contigisse experimur Regno *Transylvania* in præpropera conflagratione antedictorum Dogmatum: Nam dum copiosiores partes, ut sunt *Urbes muratae*, *Oppida*, ac *Pagi* amplexu mutuo, animoque promptō huic incendio cedunt, Domini Catholici, quamvis passim ad instar firmissimorum stipitum in medio consistent, unā cum tenuioribus fruticibus antiquis Hungaris, quos *Siculos* nominant imperterriti, constantisque in Fide Romano-Catholica, à suo S. Rege *Stephano* accepta, usque ad præsens perseveraverunt.

#### §. II.

## §. I L

**I**N Sede Siculicali *Maros*, duæ Matres Parochiæ cum sex Pagis, *Hodos*, *Kőszvénge*, *Jobbág-teleke*, *Dimiiny-háza*, *Mikbáza*, & *Kőszvénge* *Re-*  
*mete*, salvæ, & integræ permanserunt, duæ aliæ Filiales, *Szováta*, &  
*Sellye* incendio cesserunt, quarum prima tota à Fide excidit, alterius  
media pars, sed *Szováta* propitiis Superis brevi reducta, *Sellye* adhuc ma-  
net dismembrata.

In Sede Siculicali *Udvarhely* Matres Parochiæ sex manserunt salvæ, &  
inco ruptæ, duarum verò *Korond*, & Oppidi *Udvarhely* pars dimidia  
lepræ infecta est.

Sedes Siculicales *Csik*, *Gyergyó*, & *Kászon*, quæ ex parte gremii *Trans-*  
*sylvania* profundissimis sylvis, & alpibus, ex parte verò *Moldavia* longè  
majoribus, & ut plurimum carpaticis circumsepiuntur, à prima suæ  
ad Fidem Catholicam conversionis ætate, usque in præsentiarum cum  
numerissimis, & amplissimis Parochiis, nec non Conventu nostro  
B. V. *Visitantis* in corde dictarum Sedium antiquitus erecto, ab omni  
hærescon labore illæsæ, virginésque permanserunt.

## §. III.

**M**irum sanè, & nonnisi peculiari Dei providentia attribuendum,  
quod dictæ Parochiæ in avita Religione perdurare potuerint ob  
continuam disturbiorum injuriam, eò præsertim, quod à Reverendissi-  
mis Dominis Ordinariis ob dictas rationes fugitivis, proscriptis, &  
absentibus, submissione Ministrorum salutis, per octuaginta, & plures  
Annos ad votum juvari non poterant, usque ad mortem Principis  
*Bethlémii*; Unde tanta Sacerdotum exorta inopia, ut Viri Sæculares Pa-  
rochorum vices agerent pluribus in locis, iis tantum exceptis, quæ pro-  
pria essent Presbyterorum.

## §. IV.

**L**ibet hic ad propositum quidquam memorabile, & in rudi Populo  
laudabiliter gestum inserere. In districtu quoque *Claudiopolitano*  
quatuor Parochiæ remanserunt in hærescos incendio illæsæ, nimirum:

Mono-

*Monoſtor, Fenes, Bács, & Jegonye*, quarum hæc, cùm per aliquot tem-  
pus in luctuosissimo illo Ecclesiæ statu Ministrum Catholicum pro se nul-  
latenus nancisci posset, nec inter Parochianos quisquam literas nōſſet,  
proximi Pagi Egeres Ministrum factionis Calvinianæ conductum tenuit  
eo fine, ut statis diebus adveniens, Festos dies, jejuniāque eis denun-  
ciaret, baptizaret, matrimonio copularet, & mortuos sepeliret, sed  
nequaquam præſumeret eis concionari, vel lmagines tangere. Unde vi-  
ce quadam contra paſtum gradus Altaris concendentι, & exhortationis  
verba facere volenti, dictum est à valentiori Rustico *Varga Boldisár* nuncu-  
pato: tace, descende, & exi ſponte, quia invitus exibis, ſerva tuum  
paſtum &c. Hæc refert Religiosissimus, ac integerimæ fidei Vir noſtræ  
olim Custodiae emeritus Pater, *Joannes Kijoni*, qui ab eodem Hetero-  
doxo Ministro, inq̄e jam diēta Ecclesia ſuit baptizatus. Perſeverantia  
in vera Catholica Fide hujus ſimplicis Populi, ſoli, & ſpeciali Divinæ  
providentiae, nec non *S. Michaëlis Archangeli* tutelæ, cuius honori di-  
ēta Ecclesia Sacrata exiſtit, attribuenda venit.

## §. V.

**I**N huſus conflagrati arundineti Transylvanicī medio fuēre paſſim præ-  
potentes Proceres Catholici, Nobilitasque ſingularis, quibus flamma  
non plus, quām tribus Pueris in Babylone nocuit, qui tanquam validiſſi-  
mi ſtipites pro Columnis Ecclesiæ ſteſterunt, pro quorum Spirituali ſubſi-  
dio, & consolatione, juxta temporum anguſtiam Deus Ter optimus, &  
Maximus providerat in tribus Parochiis (præter Siculicaleſ) ſcilicet: *Al-  
benſi, Monoſtorensi, & Szilág-Somlyovienſi*, in quibus publica Regni Con-  
ſtitutione Sacerdoti Catholico, more ſuo ſacra facere liceret, quo pro  
Festis ſolemnioribus dicta Nobilitas confluere ſolita ſuit; Verūm quia  
hæc facultas debilibus, infirmis, moribundis, aliisque legitimis cauſis  
præpeditis, non ſatis patrocinabatur, & ſtricta nimis viſa eſt, eò vel  
maxime, quod cum reliquis Religioſis Ordinibus, Fratrum quoque Mi-  
norum Regulariſ Obſervantie Provinciæ *Sanctissimi Salvatoris* Custodia Tran-  
ſylvanica adeò eſſet exciſa, ut eorum etiam unicus, & principalior Con-  
ventus *Csik-Somlyovienſis* B. V. *Visitantis* (ex quo ſeruentiſſimi ſalutis ani-  
marum Zelatores, etiam cum apertissimo vitæ diſcrimine excurrere con-  
ſuever-

sveverant ) aliquoties Religiosis vacuus, à Sæcularibus inhabitatus, cu-  
stoditusque fuerit; Ideo modum adinvenit sæpè dictus Potentatus  
Catholicus ampliandæ suæ spiritualis consolationis, pro illa  
rerum circumstantia, præcipue per Religiosos Ordinis S.  
Francisci Strictioris Observantie.



# P A R S S E C U N D A,

De Restauratione veteris Custodizæ.

## Q U Ä S T I O P R I M A.

*Quando, & quomodo nostræ Religioni post disturbia hæresecos passus  
sit apertus?*

### §. I.

**M**IGRANTE è vivis Principe Bethlemio, Annô 1629. qui Hungariam Turcarum auxiliô toties bellô presserat, & Conjuge sua Catharina Brandenburgensi, in Gubernio ad tempus sedente, factum est, ut Patria à strepitu armorum, tantisper siferet. Tunc Domini Magnates Stephanus Kovácsózzi Cancellarius Regni, Michaël Todalagi, supremus Capitaneus Sedis Maros, Christophorus Bálintffy, Thesaurarius Bethlemii, & alii plures, qui Columnæ Cotholicæ Fidei in hac Patria videbantur, miserandam Ecclesiæ suæ sortem ob maximam inter alia, præcipue Sacerdotum, ac Religiosorum Virorum penuriam, amarō nimis, dolentique animō ferentes, communicatō inter se consiliō, duplicem huic malo occurrenti aggressi sunt viam. Unam, scribendo Ministro Provinciali Provinciae *Sanctissimi Salvatoris* Hungariae pro succursu ferendo (subaudi ex justitia) suo Conventui Csikiensi Fratribus vacuo. Alteram, scribendo itidem Ministro Provinciali Provinciae .... ejusdem Ordinis, quatenus, & ipse in hanc non suam Castodium, ut prior, sed ex charitate unum, vel alterum par Fratrum suorum dignaretur ei transmittere, gratiâ Divini Sacrificii, & excipiendarum Confessionum eorum, qui lingvam novissent Latinam.

Pro majori claritate, ac compagum præsentis Opellæ exactiori cohærentia, opportebat hic Patrum alterius Provinciæ, & Nationis Nomina, Cognomina, consilia, molimina, & conatus ad ungvem prosequi, hac præcipue de causa, ne videremur tantum fabulari, & commenti quidpiam pro veris supponere; sed cum conscientiâ admodum timorata teneremur, neque velle possemus, ut occasione Opusculi præsentis à pusillis scandalum quoquomodo acciperetur; Æmulorum nostrorum

Cognomina, nec non Provinciæ, cuius Alumni extiterant, quantumcunque fieri potuit luci publicæ lubentes subduximus.

Rem nihilominus nostram (ut infra patebit) & molestias, quas Patriæ, ac Custodie proprii Filii, duobus propè lustris pertulimus compendiariò tantum, & quasi Iliadem in nuce clausam offeremus.

### §. II.

**N**on sunt fraudati utrinque suō intentō Domini Catholici, nam Pater Provincialis Provinciæ Sanctissimi Salvatoris, Annō 1629. duos Patres natos in Transylvania, Nicolaum Somlyai, & Martinum Szeredai, exemplaris vitæ Religiosos pro majori securitate in vestibus sacerularibus submisit, plures etiam missurus, quantociū sibi per copiam Fratrum liceret. Neque apud alterum exteræ Nationis, & Provinciæ Ministrum, nam, & is Annō 1630. in vestibus sacerularibus misit eis virum probatæ vitæ Stephanum a.... cum tribus sociis Sacerdotibus, Seraphino a.... Mariano a.... & Elia .... quorum duo posteriores Patriam exosi, vi-támque aulicam apud Magnates habitando pertæsi, brevi post tempore in suam sunt reversi Patriam..

### §. III.

**D**uo Constantiores Patres, Stephanus a.... & Seraphinus a.... Annō, quā Senior Rákócius Princeps Solium capessendi gratiā Albam-Juliam solemnī pompa introduceretur, Religiosas vestes reinduendo, ad contitum novi Principis in publica platea se ipsos stiterunt, ut sese in Regno inventos comprobarent. Interea Pater Stephanus a.... à Sacra Congregatione de Propaganda Fide obtentis facultatibus, Missionum Praefectus instituitur, recusansque in aulis habitare, Parochiam Curatō vacantem in Sede Siculicali Maros-Kőszvénnyes vocatam, lingvæ quamvis & ipse, & socius ignari intraverunt, ubidum Deo, & animabus, dies, noctesque inserviunt, ecce Divino planè nutu factum, ut ex Provincia Hungariæ S. Mariae Ordinis Seraphici Frater quidam Laicus Professus Casimirus Domokos, ex proximo Pago Szováta oriundus Religiosus exemplaris, & commodè literatus, Parentes visitandi, & ad Fidem Catho-

Catholicam reducendi studiō adveniret , qui jungens se duobus dictis Patribus, coepit eis esse pro lingva, pedibus, ac manibus, in conqui- rendis vitæ necessariis, sermonémque exhortationis ad Populum facti- tare.

Exinde pro stabiliōri *Missionis Apostolice* loco, quām esset dicta Paro- chia, in Pago *Mikbáza* filiali mentionatae Parochiæ, à quodam Nobili *Georgio Márkodi* Domum desertam cum suo fundo nobilitari procurave- runc, ibique Annō 1635. Ecclesiolum pro cultu Divino, & sepultura Nobilium ex muro construere cœperunt. Ad cujus latus nonnullas eti- am Cellulas ex lignis exstruere; circa quæ, & Operarios conducendos, Frater *Casimirus Domokos*, zelō Dei, & Patriæ stimulatus, lingvæ, lo- corūmque expertissimus, omni cum sollicitudine desudavit, ita quòd, si quandóque Murariorum, vel operariorum quisquam deficeret, ipse ejus vices illicò promptus, & hilaris exciperet.

## §. I V.

**I**n terea dum hæc fiunt, Patres, & Fratres Provinciæ *Sanctissimi Sal- vatoris* in Conventum suum *Csikiensem* adventantes, cœperunt adeò multiplicari, ut jam essent septem Sacerdotes Concionatores, & qua- tuor Fratres Laici Professi. Inaudiens itaque Populus Catholicus mul- tiplicari Alumnos Ordinis Seraphici, simùlque intelligens in Sede *Maros* ad Pagum *Mikbáza* pro Fratrum habitatione Domicilia construi, plu- rimùm gavisi, & in spiritu consolati, æmulari cœperunt & ipsi charis- mata meliora, offerendo eis duo alia loca ad excitanda in illis pariter Domicilia Religiosa; unum in districtu trium Sedium ad Pagum *Nyújtód*: alterum Spectabilis, ac Magnificus Dominus *Stephanus Haller*, Con- siliarius Celsissimi Principis, *Alba-Ecclesia*, alio nomine *Fefér-Egyháza* in suis bonis, ubi etiam antiquitus nostri Ordinis extiterat Monasterium.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Quomodo, & quando Conventus Csikiensis cum reliquis locis in novam Custodiam fuerit erectus?*

## §. I.

**P**ater Stephanus a..... videns viam aperiri pro dilatando Ordine Seraphico, consilium iniit cum primoribus Conventus Csikiensis Patribus, de erienda nova Custodia Transylvanæ, pro ejusdem Patriæ Filiis in ea vestiendis, & professuris, quorum animus firmior, constantiorque esse solet erga salutem Patriæ procurandam, quam exterorum ad placitum adventantium, & quavis de causa recedentium: commendabat intentum magna distantia locorum, & difficultas accedendi ex Provincia Santissimi Salvatoris in hanc Custodiam. Inciderat consilientibus & hoc, ut intentandæ novæ Custodie basis, & fundamentum fieret Conventus Csikiensis, ab antiquo approbatus, locoque tutiori existens: Inerat Patrum animis spes etiam non exigua, quod si tota Custodia tempestate disturbiorum aliquando graviter premenda, loca recentiora amissa esset, saltē iste Conventus in meditilio constantium Catholicorum, montibus carpaticis circumseptorum perseveraturus speraretur.

## §. II.

**A**ntequam Patres nostros gloriofos in generationibus suis, laudibus meritis frustrari patiamur, parati sumus nos ipsi cimmeriis involvi tenebris; Salvâ tamen eorum reverentiâ dictum sit, iidem ex Sancta, ac laudabili simplicitate plus debitô attribuerunt Patri Stephano, ..... eundem Custodia Fundatorem, non tantum sentientes, sed etiam scripto posteritati transmittentes, cùm in rei veritate Sanctissimus Dominus Urbanus VIII. illam de novo excitaverit, Pater verò Stephanus ..... tantum svasor, & instrumentum fuerit fundandæ; Verum enimvero, si quisquam dici mereatur saltē secundarius Fundator, ii potiori jure censendi erunt, qui jam tunc præexistebant in suo Conventu Csikiensi, quam Pater Stephanus ..... venisset in Transylvanianam, nimirum: Veteris Custodia Filii, Pater Nicolaus Somlyai, & Martinus Szeredai, sine quorum

rum consilio scissionem facere consultò non judicavit, ut pater ex sequentibus.

### §. III.

**A**pprobandibus autem Patribus *Csikiensibus*, consensùque eorum habito tali sub conditione, si Mater Provincia assentiret, Pater *Stephanus..... Praefectus Missionum* considerans Fratris *Casimiri Domokos* laudabilis vitæ conversationem, in agendis rebus dexteritatem, & in spiritualibus singularem fervorem, Annō 1639. misit eum *Romanum* ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, duplici potissimum de causa: unā, ut di-  
quus Frater *Casimirus* sacris initiatetur, si Eminentissimis Dominis dictæ Congregationis Cardinalibus, & Superioribus Generalibus in Domino visum suisset. Alterā, ut nova *Custodia* in *Transylvania* sub titulo S. *Stephani Regis*, pro subsidio animarum in maxima necessitate constitutārum, à Superiorum Generalium Jurisdictione immediatè dependens erigeretur; Obtinuit utrumque, nam & Frater *Casimirus* sacris initiatus, in Sacro loco *Ara-Cali* primam Missam celebravit, & Breve Apostolicum Neo-erectæ *Custodia* apportavit tenoris sequentis.

## URBANUS PAPA OCTAVUS

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**S**alvatoris Nostri JESU Christi vices, licet immeriti gerentes in Ter-  
ris, illam curam libenter amplectimur, per quam Religiosorum Ordines, multiplicatis Cultoribus, quorum assiduis precibus, & fructuosis operibus Omnipotens Deus propiciatur, ut Fides Catholica propagetur, nostris etiam temporibus suscipiant incrementum, Officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sanè pro parte dilecti Filii Procuratoris Generalis Fratrum Minorum Reformatorum nuncupatorum *Ordinis S. Francisci*, Nobis nuper expositum fuit, quod pro cultura Catholicorum in *Transyl-  
vania*, Hæreticorum, & Schismaticorum in illis partibus degentium conversione, maximè expedit ex Dominibus Regularibus Fratrum Minorum Reformatorum *S. Francisci Strictioris Observantia* Ordinis hujusmodi in eis-

eisdem partibus existentium, unam *Custodiā Transylvaniā* nuncupan-  
dam erigi, & à Provincia *Sanctissimi Salvatoris* Hungarie ejusdem Ordini-  
nis separari. Nobis propterea idem Procurator Generalis humiliter sup-  
plicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apo-  
stolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Procuratoris Generalis votis  
hujusmodi, quantum in Domino possumus, benignè annuere, illum-  
que specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibúsvis  
*excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis*  
*sententiis, censuris, & poenis, à Jure, vel ab homine, quavis occasione,*  
*vel causā latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum*  
*præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & abso-*  
*lutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tres domos*  
*Religiosas, quæ à Fratribus Minoribus *Strictioris Observantie* hujusmodi ad*  
*præsens, ut asseritur habitantur in *Transylvania*, nec non aliam de *Csik* co-*  
*rundem Fratrum Minorum Provinciæ *Sanctissimi Salvatoris*, illiusque Mi-*  
*nistri Provincialis jurisdictione, & superioritate, ita quod illi amplius*  
*minimè subsint, Apostolica autoritate tenore præsentium perpetuò se-*  
*paramus. Ipsasque quatuor Domos Regulares hujusmodi in *Custodiā**  
**Transylvaniā* nuncupandam, eadem autoritate, & tenore præsen-*  
*tium perpetuò erigimus, illamque jurisdictioni, Superioritati, visitati-*  
*oni, & correctioni Ministri, & Commissarii Generalium pro tempore*  
*existentium ejusdem Ordinis, qui *Custodiā* sic per Nos erectam pro*  
*tempore regant, illique de Religiosis, & aliis necessariis provideant,*  
*immediatè subjicimus: Nec non in *Custodem Custodiæ* hujusmodi pro*  
*hac prima vice dilectum Filium Stephanum.... ejusdem Ordinis Profes-*  
*forem deputamus, & constituimus. Demum eidem *Custodiæ* sic erectæ,*  
*illiusque Domibus Regularibus, *Custodiæ*, & Fratribus, ut omnibus & sin-*  
*gulis Privilegiis, gratiis, eminentiis, concessionibus, & indultis, qui-*  
*bis alia ejusdem Ordinis *Custodiæ*, illarumque Domorum *Custodes*,*  
*& Fratres utuntur, fruuntur, & gaudent, uti, frui, & gaudere pos-*  
*sunt, & poterunt in futurum, similiter & æquè præstantialiter, acsi *Cu-*  
*stodiæ* per præsentes erectæ, illiusque Domibus, *Custodiæ*, & Fratribus*  
*concessa fuissent, uti, frui, & gaudere liberè, & licite possint, ac vale-*  
*ant indulgemus. Decernentes præsentes literas, validas, firmas, &*  
*efficaces existere, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & obtin-  
ere debere, sicutque per quoscunque Judices, Ordinarios, & Delegatos,*  
*etiam*

etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, irritum, & inane, si secūs super his à quocunque quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit anttentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ *Sanctissimi Salvatoris* prædictorum etiam juramentō, confirmatione Apostolica, vel aliâ quâvis firmitate roboratis statutis, & Constitutionibus, Priviliegis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenore præsentium, pro plenè, & sufficienter expressis, illis aliâs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expreſſè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 3. Februarii. M. DC. XL. Pontificatus nostri Annô Decimo-septimô.

*M. A. Moraldus.*

Ita habetur registratum in Secretaria Admodum Reverendi Patris Procuratoris Generalis Reformatorum Romæ ad S. Franciscum in Ripa in libro Rerum notabilium, titulô Aani 1644. fol. 74. Idem testatur Indiculus Bullarii Patris Petri de Alva, fol. 351. num. 16. in Registro de Propaganda Fide fol. 119.

### §. I V.

**P**rovincia *Sanctissimi Salvatoris* ægrè quidem tulit abscissionem suæ *Custodiae*, sed voluntati Sedis Apostolicæ cedere debuit. Duo loca Missionis hujus *Nyújtód*, & *Alba-Ecclesia* (quæ à Fratribus assumpta, & ad tempus inhabitata fuere in Brevi quoque Apostolico subintellecta) invidentiâ Adversantium deleta sunt, cum gravi deinceps prohibitiōne, ne præter duos formales Conventus, *Csikiensem*, & *Mikbáziensem*, Religio nostra habere præsumat: quâvis per modum Hospitii tertium locum in Districtu *Gyergyaiensi*, non ita pridem *Custodia nostra* cepit incolere.

Plura etiam alia ab exordio præsentis sæculi ex gratia nunc regnantis

tis Augustissimi Imperatoris Caroli VI. Principis nostri Clementissimi legitimè collata acquisivit, ut infra suis locis videbitur.

### §. V.

**U**bi Pater Stephanus .... Breve Apostolicum fundationis *Custodie* sub titulo *Strictioris Observantia*, seu *Reformatorum* accepit, tam acri culit animo, ut exinde determinaverit omnem mouere lapidem, quatenus illud ad *Observantiam*, seu *Fratrum de Familia nuncupatorum* mutare possit. Qua de causa misit Romam Patrem Andream .... Lectorem, .... qui paulo ante in Conventu *Ara-Calitano* omnia sua studia absolvērat, in hoc tamen negotio in vanum laborans, dum vacuus rediret, in sua Provincia defunctus est. Quō non contentus Pater Stephanus .... Annō sextō post fundationem, *Urbano Octavo* Pontifice jam defuncto, & *Innocentio Decimo* succedente iteratō misit ea de causa Patrem *Gabriellem* .... ad Sacram Congregationem; Interea tamen vigore Brevis dati, & accepti, non desistebat habitu Religionis Juvenes vestire; quid autem responsi & hic Nuntius à Sede Apostolica reportaverit, ex adjuncto Sacrae Congregationis Decreto, & Epistolā Illustrissimi Domini Francisci Inguli facile est intelligere.

### §. V I.

*Decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, habite  
die 15. Octobris 1646. coram Sanctissimo.*

**R**eferente Eminentissimo Domino Cardinale *Sfortia* instantiam *Custodis* Fratrum Minorum de *Observantia Reformatorum*, ut *Custodia* illa reduceretur ad *Custodiā Minorum de Observantia nuncupatorum*, & ut *Custodia* præfatæ facultas possidendi immobilia concederetur, quia in *Transylvania* Fratres vivere non possunt ex mendicacione quotidiana. S. D. N. ad utramque petitionem negativè respondit; verū, ut necessitatibus præfatæ *Custodia* (quæ Missionem habet annexam) aliquō modō consulatur, cum illa dispensavit, eō modō, quō fatus sit cum Missione Reformatorum in *Pedemonte*, ut scilicet possint

Fra-

Fratres *Custodiae* præfatae frumenta , legumina , vinum , viçtualia , & pecunias , quæ titulô Eleemosynæ illis , eorūmque Missioni dantur apud Syndicum per *Custodem* deputandum conservare , & per eum Fratribus , & Missionariis in eorum necessitatibus subministrare , quam dispensationem Sanctitas Sua valere voluit durante tantum Schismate Transylvaniae.

N. Cardinalis Casponius.

L.  S.

Franciscus Ingulus Secretarius.

Dilectissimi in Domino Fratres , in quorum gratiam specialiter hanc qualemcumque opellam luci publicæ consecrare statui , utinam serviat vobis pro calcari ad felicius currendum in via ter Sanctæ , & Deo nuncupatæ vocationis , nec non apprehendendum bravium æternæ salutis mox subjungenda Illustrissimi Domini Prælati Pontificii , & Secretarii Sac. Congregationis commonitoria sequentis tenoris Epistola.

### §. V I I.

*Literæ Illustrissimi Domini Secretarii Sacra Congregationis ad Patres Custodias.*

Admodum Reverendi Patres.

P Etitio vestra bienniō ab hinc per Patrem *Andream*..... piè defunctum huic Sacrae Congregationi de Propaganda Fide exposita , atque eo tempore ulteriori leposita ventilationi , his diebus iterum fidelis non minùs studiō , & solicitâ curâ Patris *Gabrielis* ..... Eminensissimorum Patrum matura consideratione , tandem ad S. D. N. delata fuit. Qui quidem attenta rei petiræ magnitudine , nec non causæ (ob quam rogatio fieret) levitate perpensa , petitionem ipsam renuit oianinò admittere , de Paterna verò benignitate concessit ea , qua statui vestro congruere , & præsenti necessitati sufficere secundum De-

um melius judicavit, velut ex adjuncto Decreto clarius etiam cognoscere valebitis. Vestrum itaque est Patres, Apostolicæ Sedis stare judicio, ejusque voluntati obtemperare, cui vel maximè post Deum vestras devinxistis voluntates; Neque vero ea res ardua vobis videri debet, si finem spectetis, cuius gratia, mundo, & ejus pompis renuntiasti. Considerandum quippe, atque pura mente recolendum vobis est, qui sitis, inter quos constituti, quid facitis, & quales futuri estis; Fundatores nimirum, & primi Vineæ vestræ Franciscanae inter tot errorum spineta Institutores, qui nisi in ea puritate, (quæ vel maximè ad Patris vestri Francisci præscriptum, & normam accedit) plantaveritis, illa non uvas perfectionis, sed relaxatæ disciplinæ labruscas fructificabit.

Quales futuri erunt successores vestri, si vos tam laxatè, & comodè vivendi exempla reliqueritis? Vos nunc prata, agros, vineas, molendina, Colonos desideratis, illi quid? nisi Arces, sumptuosa Palatia, & possessiones Provinciarum meditabuntur. Arctam Pater vester vitam duxit, dum vivaret, nihil habere, nihil possidere, sed pauper, nudus, nudum, & pauperem Christum sequi studuit, nunc Filii ejus divitias querunt, & qui pauperes in saeculo fuere, in Religione paupe- re divites esse volunt. Vetus adagium est; Monachus habens obulum, non valet obulum: propter quod tam strictè iteratis vicibus in Regula vestra pecunia prohibetur, quia videlicet vos Fratres, qui sine illa Hæredes, & Reges Regni Cœlorum deputati estis, Exreges, atque Exhæredes eisdem, & nihil quidem valere facitis. Attendite, qualiter innumeris præmantur Turcarum calamitatibus Fratres vestri, eam potissimum ob causam, ut iūmet constentur, & vos bene nostis, quia. .... Ergo saltem alieno malo edocti, desideria vestra castigate.

Celebratis Bernardinum, B. Joannem Capistranum, Jacobum de Marchia, quos paupertas Cœlo invexit; Horum vobis sunt sectanda vestigia, ut vos postea Posteri inde commendare, & admirari possint. Stimulat vos exemplum quorundam, qui bona isthic, aurum, argentumque coacer- vant, & ignorant cui congregabunt ea, sed stimulus hic pellit ad inse- ros, neque in eo debet esse æmulatio, verum, ut docet Apostolus, æmulamini charismata meliora. Sed his spero vos satis conquieturos, ubi Statuta Strictioris Observantiae, & alia (quæ idem Pater Gabriel, vobis Commissarius Visitator destinatus coram explicabit) in charitate eximi-

examinaveritis. Habet in commissis, & quomodo visitationem peragere, & ea, quæ ad perfectionem sunt necessaria, vobis tradere debet; Cui si perfectam tribueritis obedientiam, habebitis me quoque semper vestri addictissimum, qui summopere cupio, ut in bono crescatis, & non minus exemplō, quam verbō Fidem, & Religionem Catholicam prædicare non negligatis. Romæ die 22. Octobris 1646.

PP. VV.

L.  S.

*Studioſiſſimus  
Franciſcus Ingulus Secretarius.*

Horum Originalia in Archivio Provinciæ asservantur, paria verò, tam in Secretaria Sac. Congregationis, quam Procuratoris Generalis Reformatorum, Lib. Missio-Apost. Annō 1646. fol. 151. ad S. Franciscum in Ripa. Item ibidem 153.

## §. V I I I.

**N**ec hoc lubet pro rei ampliori confirmatione omittere, quod ubi præfatus Illustrissimus Dominus Secretarius Fratrem Franciscum Jegyenyi primum Custodiæ professum Filium intellexisset in studiis Theologicis Viterbii apud Patres Observantes collocatum, illicè eum Romanum accitum, inter Patres Reformatos ad S. Franciscum in Ripa collocari fecit, pro continuandis suis studiis, spe concepta Custodiā in sua fundatione, ab eo, data tandem occasione, defensum iri. Interea Pater Stephanus .... dum per quatuor, vel quinque annos perplexus hæret, interram grandi quid sibi agendum esset, accessit sancta mors, & sibi tam vitam, quam dubium solvit. Socii nihilominus sèpiùs memorati Patris Stephani .... nunc plures, nunc pauciores, prout ad placitum ex sua Provincia veniendo crescabant, & recedendo decrescebant, id ipsum, quod Pater Stephanus .... exorsus fuerat, à se perficiendum, minimè desperabant, plures & plures recursus faciendo ad Sacram Sedem.

## QUÆSTIO TERTIA.

*Quibus incommodis neo-erecta Custodia laboraverit, & qua ratione paci illius consilium fuerit?*

## §. I.

**C**unctarum calamitatium antè perpeccatarum, & paulò supra genericè relatarum, summa esto hæc, quod Patres alterius Provinceæ, & Nationis, abscissam auctoritate Apostolica à Provincia Hungariae Sanctissimi Salvatoris Custodiā Transylvaniensem omnimodis suæ Provinceæ jūgere studebant, vel saltē ad minùs Conventum Mikháziensem, cuius rei gratiâ tametsi plures recursus fecerint ad Sacram Sedem, semper tamen negativam reportarunt.

Si quos de nostris præcipiè Religiosis amplior pernoscendæ antiquitatis, & in illa male auctorum cupido pulsaverit, poterit sufficienter nōesse ex scriptis Patris Joannis Kajoni illius ævi supparis.

Cum Patres exteræ Provinceæ, ac Nationis, ab inceptis desistere nolent. Filii Custodie ad S. Sedem pro extremo remedio, & ipsi confugiendum esse duxerunt. Decreverunt igitur Patres hunc in effectum talem destinare, qui & lingvam Italicam aliqualiter calleret, & primus Brevis Apostolici gratiam per solemnam Professionem experius fuisset, scilicet Patrem Franciscum Jegenyei.

Paruit is tam sancto operi, junctoque salutaris obedientiæ meritô, Romanum abiit. Abiit & alter pro parte adversa Pater Bartholomeus..... cum duobus sociis, cùm verò jam utraque pars Romæ in Collegii Apostolici Palatio Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, determinato die comparuisset ( assistentibus utrinque Procuratoribus Generalibus Ordinis, & quidem pro parte Filiorum Custodia Patre Joanne Baptista à Pignarolo ) Illustrissimus Dominus Secretarius Sacræ Congregationis Dionyssius Massarius utriusque partis causas exploratas habere voluit.

## §. II.

**I**nterim Breve Apostolicum fundationis ante omnia lectum est publicè. Procurator Generalis Partis Adversæ, unica hac ratione contendebat

Custo-

*Custodiā* debere esse suorum , quia Pater Stephanus . . . primum , & præcipuum instrumentum restorationis *Custodiā* fuit de suis. E contra Procurator Generalis Reformatorum ex claro verborum in Brevi Apostolico expressorum tenore *Urbani VIII.* & Decreto *Innocentii* &c. ( à quo Pater Stephanus . . . petierat , ut *Custodiā* de *Reforma* mutaretur in *Observantiam* , & responsum fuit negativè:) stabiliebat. Reliqua inter contra illos , & in nostri favorem erat statūs Catholici *Transylvanicī* gravissima interpositio , nempe nullatenus permettere volentis Jus Patronatū Conventū *Mikbáziensis* exterā tam Provinciæ , quām Nationi , suis eleemosynis , & pro suis filiis Religionem suscepturnis exædificati. Plura etiam hujus rei gratiā in medium prolata suēre.

Hæc videns , & audiens Illustrissimus Dominus Secretarius hanc tulit sententiam : Filii *Custodiā* habent sole clariorem justitiam , nullūmq[ue] subesse dubium , de quo controversia fieri debeat. Filius *Custodiā* præfens Pater *Franciscus Jegenyei* adjecit verbum : Si Sanctissimus Dominus Noster *Alexander Septimus* , modernum Sanctæ Ecclesiæ caput aliter decreverit , quām usque modò decretum sit , illicò Sanctissimis suis pedibus me submittam , aliàs ego in virtute Brevis Apostolici *Urbani VIII.* suscepi habitum , & professionem emisi : ad quæ Secretarius respondit omnibus audientibus : Non est Homo æqui amans natus in mundum , qui efficiat , ut hæc mutentur. Res ista tam firmis duorum Pontificum Decretis nititur , ut non sit rationi consentaneum , tertium superaddere , nec ego quidquam Sacrae Congregationi , de hoc tam evidenti negotio proponam , Authoritas Superiorum Generalium pro medela erit , suo tempore solummodo adhibenda.

### §. I I I.

Proclamatâ taliter ab Illustrissimo Domino Secretario Sacræ Congregationis causâ in nostri favorem , discessit utraque pars. At Reverendissimi Patres Generales noluerunt remedia , aliàs gratis pertentata , amplius adhibere dupli de causa. Primâ , ne novum vulnus novō , & fortasse deteriore recrudesceret. Sacundâ , quia & temporum circumstantiæ impedimento esse dignoscabantur ; oborta enim brevi pestilenta , omnes Italix passus reclusit. Pacem etiam *Transylvania* Principis

Rákó-

Rákocii absque venia Turce in Poloniam injuriosa irruptio, ibidemque sui exercitūs deletio, ita turbavit, ut *Turca*, & *Tartarus* non contenti eum Regnō privāsse, sed etiam per quinque, & amplius annos propter multiplices Principum mutationes, ferrō, & igne totam crudeliter vastarunt *Transylvanianam*.

### §. I V.

**T**andem pace sub auspiciis Celsissimi Principis Michaelis Apaffi confecta, superni Spiritus Sancti Gratia fvasit Reverendissimo Patri *Bonaventura Caballo* Commissario Generali, ut dictis malis excidendis, de Poteſtatis plenitudine extremam admoveret manum.

Requisivit igitur pro tunc Commissarius Generalis Pater *Bonaventura Caballo* Vicarium Generalem *Transylvanie* Reverendissimum Dominum *Joannem László*, ac Catholicum Statum ad præscriptum Decreti S. Concilii Tridentini Ses. 25. cap. 14. ut adminiculō brachii Sæcularis, Religiosi illi exteræ Nationis, & Provinciæ, qui non in *Custodia* suis ſent Professi, ad sua redire compellerentur, ac Conventus *Mikbáziensis*, Fratribus, & Patribus *Custodia Transylvania* cæterū pacificè pofſidens traderetur, quod & factum est Annō 1666. die 6. Augusti, Executoribus Spectabilibus, ac Magnificis Dominis *Caffaro Kornis*, & *Stephano Lázár* in præsentia mox dicti Reverendissimi Domini Vicarii Generalis, approbante totum Sacra Congregatione Eminentissimorum Dominorum Cardinalium de propaganda Fide.

### §. V.

*Decretum Sacra Congregationis de Propaganda Fide habitæ die quinta Septembri 1667.*

**R**elatis controversiis ortis inter Fratres Ordinis S. Francisci Strictioris Observantie *Custodiæ Transylvanie*, & Minores Observantes ejusdem Ordinis Conventūs *Mikbáziensis*, Sacra Congregatio specialiter deputata, vīſis, ac diligenter consideratis, quæ ſuper illorum diſſidiis uſque ad hæc exposita fuerunt, præcipue contra dictos Fratres Minores Observantes, qui *Decretis Sac. Congregationis* circa ſubjectionem Conven-

tus Mikháziensis prædictæ Custodiæ Transylvanie juxta præscriptum Brevis Apostolici Sanctissimi Domini Nostrí Urbani VII. ac suorum Superiorum mandatis, quāmvis sēpiùs moniti, & requisiti fuerint, parere recusârunt. Ad occurrentum ne imposterum alia scandala in præjudicium Religionis Catholicæ oriuntur, præcepit Custodi, aliisque pro tempore Superioribus localibus Conventuum Csikiensis, Mikháziensis, & Gyergyaiensis, cæterarūmque Domorum Religiosarum, si quæ in prædicta Custodiæ Transylvanie erunt, ne Fratres Provinciæ, vel Nationis exteræ, amplius in ipsis recipiant, neque ad gradus, & munia Religionis, etiam localia, sub pœna nullitatis admittant, & ita firmiter observari mandavit. Datum Romæ die 5. Septembris Annō 1667.

N. Cardinalis Barberinus.

L.  S.

H. Casanatæ Secretarius.

§. V I.

**P**orrò, ex Sobole eorum cum quibus ingens, & diurna nobis fuit miseria, non defunt, neque desistunt usque in præsens objectare, quod omnes Conventus Transylvanie Fratrum Minorum olim pertinebant ad suam Provinciam exteram. Quod quām consultò, ac sine fundamento jactent, cape paucis Lectio benevole. Provinciæ Hungariæ Sanctissimi Salvatoris, & Sanctæ Mariæ (quarum omnes Conventus Transylvanicæ ab ævo fuerunt) longè sunt antiquiores Provinciâ illâ, utpote erectâ Annō 1275. si credimus Illustrissimo Domino Francisco Gonzaga, hoc ipsum in suo quadripartito de ortu, & progressu Religionis Seraphicæ opere pag. 580. remonstranti, qui ortum Provinciæ ..... refert ad Annū 1342. cūmque duæ indigenæ, & inclytæ Nationes Transylvanie, utpote Hungarica, & Saxonica, usque ad defectionem Lutheri, & Calvinii ab avita Religione, fuerint totæ Religionis Romano-Catholicæ Ministris que Spiritualibus longè copiosius provisæ, quām simus in præsentiarum, hinc non videtur, quô frugi, eujusque rei gratiâ adscivissent in suas Terras ignotæ, & relatæ, ad Idioma nostrum, barbaræ lingvæ homines. Videant igitur illi, ut aliis ex fontibus, aut statuant, aut retractent, à se haec tenus sparsa.

D

S. VII.

## §. VII.

**C**æterum Fratres Charissimi fundamentum *Custodie* vestræ sub titulo *Stricioris Observantie*, tam firmum, solidumque Apostolica est manu positum, ut nec portæ Inferi valeant illud evertere, si vos ipsos firmos, constantesque in eo exhibueritis. Sanctissima illa Sedes, cuius sacris manibus vineola vestræ *Custodie* plantata est, defendet vos, tutabiturque ab incursibus malis, dummodo sub pennis ejus speretis, & illic confugiatis.

Non svaserim autem, ut illicò quibuscunque malis impulsi, directè ad ipsam Sacram Sedem recursum faciatis, sed ut ejusdem desideratissimâ gratiâ, & favoribus ad votum perfaci possitis; imprimis Illustrissimos, ac Reverendissimos Dominos Ordinarios, aliósque, si qui futuri sint, Ecclesiarum Prælatos ante omnia debitâ reverentiâ, omnique obsequiorum prompta exhibitione demereamini; Nam iidem vobis, & vos vi-  
cissim ipsis omni cum energia ab Ecclesia recommendati invenimini.

Lubet hic brevibus tantum afferre in medium quædam ad rem nostram facientia ex Constitutione 22. Sanctissimi Domini Leonis X. incipiente: Dum intra; in qua Pontifex §. 23. sic loquitur: eosdem insuper Fratres in virtute Sanctæ obedientiæ monemus ( hoc est præcipimus) ut eosdem Episcopos loco Sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita, & nostra, ac Apostolicæ Sedis reverentia congruo honore, & convenienti observantia venerentur. Reverendissimos vero Episcopos admonet in hæc: Ipsosque Episcopos hortamur, ac per Viscera misericordiæ Dei nostri requirimus, ut Fratres ipsos affectu benevolo prosequentes charitativè tractent, ac benignè soveant, séque illis minimè difficiles, aut duros, vel morosos, sed potius faciles, humiles, propitiios, piáque munificantia liberales exhibeant, ac in omnibus.... tanquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes, prompta benignitate recipiant, eorumque jura omni cum charitate custodian, atque defendant; Ut tam Episcopi, quam Fratres præfati (quorum opera, veluti lucernæ ardentes supra montem positæ, omnibus Christi Fidelibus lumen præbere debent) ad Dei laudem, Fidei Catholice exaltationem, Populorumque salutem de virtutem proficiant.

## §. VIII.

## §. V I I I.

**C**ustodia nostra Transylvanica Tituli S. Regis Stephani à sui iterata erectione, quæ Annō 1640. contigit, usque ad erectionem in Provinciam Annō 1729. factam, habuit Custodes Regiminis, seu Provinciales numerō 74. quorum aliqui bis, & alii ter fuere Custodes, existentibus interea, ut contingere solet, quibusdam Vicariis, aliis verò Commissariis Provincialibus, qui pari passu fuerunt cuncti Missionis Apostolicae de Propaganda Fide Prefecti, cum amplissimis facultatibus; Quorum infra amplior, & expressa recurret mentio.

## Q U Ä S T I O Q U A R T A.

*Quō emolumētō, & fructu exercita fuerit oīum  
Missio nostra Transylvanica.*

## §. I.

**P**Atres nostri, vel evanescentis gloriæ umbram immodicè declinantes, vel in suorum laborum fructibus annotandis minus curiosi existentes, vix aliquid, aut planè valde exiguum scriptotenus posteritati transmiserunt; at hoc ipsum, quod ipsi latere fortassis recta intentione voluerunt, Inclytus Status Catholicus in binis Authenticis instrumentis literarīs concelebrare voluit, quorum alterum est tenoris sequentis: Alterum in erectione Custodia in Provinciam producemus.

*Testimonium Incliti Status Catholici Transylvanicī.*

**N**O S Inclytus Status Catholicus Regni Transylvania. Universis, & singulis cuiuscunque Statūs, Ordinis, & dignitatis fuerint, in quorum manus hæ nostræ literæ prælentes venerint: Præsentium tenore, & testimonio irrefragabili mediante, conscientiōe attestamur, Religione Franciscanam, seu Ordinem Sancti Francisci Seraphici Strictioris Observantie, dum in memorato hocce Regno Transylvaniae Catholica Ecclesia valde multis revera calamitosissimis Annis, propter variorum hæreticorum eō tum grassantium juratam in Catholicos persecutionem,

maximè afflita, & quodammodo omni consolatione orbata, in statu penè lamentabili miserrimè constituta fuisset, eò tum omnes cujuscunque Ordinis alterius, & Religionis viri de longè existentes, inter tot, & tanta vitæ discrimina, & mortis pericula, cum manifestissimo vitæ suæ periculo constanter perseverâsse. Qui prænominatus Sacer Ordo Franciscanus: (ut præfertur Strictioris Observantie) hanc nostram Transylvanicam Catholicam Ecclesiam, verè protunc pusillum Gregem, indefesso labore, utpote: continuis Missionariis excursionibus, verbi Dei prædicationibus, Hæreticorum conversionibus, Catholicorum sat paucorum hinc inde hac in Patria promiscuè degentium conservationibus, Juvenum Scholasticorum instructionibus, ac tandem præter hæc omnia, propriæ vitæ suæ sanctimoniam, & exemplaritate à primordio semper conservavit, dilatavit, & suô possibili modò exaltavit; unde jam propter eorum singularem expertam Religiosam pietatem, & palam compertum ferventissimum animarum zelum, non tantum inter hæreticos hujus Patriæ, sed etiam invasores Paganos, Turcas, & Tartaros, hanc in Patriam semper zelosos fuisse. Nos etiam eosdem singulari nostra protectiōne, & pro his omnibus jam præmissis zelosis laboribus, reciproca conservatione dignissimos judicamus, & merito eis hoc Testimonium perpetuò valitûrum tribuere possumus, imò debemus, tanquam manifestæ veritatis recognitores, & defensores. Insuper majoris fidei gratiâ Supremi hujus Regni Officiales, & Catholicî Status Assessores Sigillò nostrò obsignamus, & nomine subscribimus. Claudiopoli die 14. Decembris Annò 1726.

Sigismundus Kun  
Excelsi Regii Gubernii, ac Incliti Status Catholicî Secretarius.  
L.  S.

### §. I I.

*Nomina Custodum Regiminis, seu Provincialium ab Anno 1640.  
usque ad Annum 1729.*

**R**eflectendo Nos ad partis secundæ, quæst. tertię paragraphos pri-  
mum, secundum, tertium, & quartum, quosdam de numero  
istorum merito expungimus. Primus itaque fuit:      Ad-

Admodum Reverendus Pater *Modestus à Roma*, Reformatæ Provinciæ Romanæ Professus, electus Annō 1648. duravit duos annos.

Secundus Reverendus Pater *Casimirus Domokos*, & duravit annō unō. qui etiam pro sequenti triennio autoritate Reverendissimi Patris Generalis fuit in officio confirmatus, Vir multarum virtutum, qui etiam per Breve Apostolicum fuit institutus *Vicarius Generalis Apostolicus Transylvanie*, & consecratus *Episcopus Coronensis in Gracia*.

Tertius Pater *Franciscus Jegenyei*, primus, & geminus Filius *Custodiae* Annō 1660. Authoritate Reverendissimi Patris Ministri Generalis *Michaëlis à Sambuca* institutus *Commissarius Provincialis*, in quo duravit annis quatuor, & aliquid ampliū.

Quartus Pater *Modestus à Roma* Italus, Reformatæ Provinciæ Romanæ Pater, electus Annō 1665.

Quintus Pater *Franciscus Jegenyei*, insignis doctrinæ, pietatis, & zeli Religiosæ observantiae Vir, per Breve Apostolicum institutus 1669. & duravit trienniō.

Sextus Pater *Adalbertus Ujfalvi*, ex Presbytero Sæculari Parocho, fatus Religiosus, media electione Canonica Annō 1672. duravit trienniō, spiritu devotionis, singulari castimonia, & humilitate, nec non verbi Dei servidissima prædicatione insignis.

Septimus Pater *Joannes Kojoni*, electus 1675. & trienniō duravit, laborum, & industria laude singularis, quem Sacra Congregatio de Propaganda Fide constituit *Vicarium Generalem Apostolicum Transylvaniam* cum successione ad *Episcopatum Transylvaniensem*, sed vel in hoc laude dignior, quod præ humilitate reculaverit.

Octavus Pater *Franciscus Jegenyei*, Annō 1678. tertio reelectus, duravit trienniō.

Nonus Pater *Thomas à Sancto Severino*, Italus, electus 1681. unō anno duravit, in ejus locum Canonicè institutus est Vicarius Pater *Adalbertus Ujfalvi*.

Decimus Pater *Antonius Valsanszki Pannon*, assumptus annō 1684. trienniō duravit. Virtute devotionis, zeloque Regularis disciplinæ conspicuus.

Undecimus Pater *Petrus Horzó*, Siculus, ex Presbytero Sæculari fatus Religiosus, assumptus in Custodem Annō 1687. duravit in Officio trienniō, fuit olim Alumnus Collegii Sancti Apollinaris *Roma*, felicitate ingenii

genii, doctrinâ, sapientiâ, morum gravitate, & donô pietatis conspicuus.

Duodecimus Pater *Antonius Valsanfzki* secundò assumptus Annô 1690. duravit trienniô.

Decimus tertius Pater *Petrus Hozó*, secunda vice Canonicè reassumptus annô 1693. duravit trienniô.

Decimus quartus Pater *Elzearius Ivanovich Croata*, electus Canonicè 1696. quem in Officio confirmavit Sacra Congregatio Regularium, & Episcoporum, quia non *Custodia*, sed *Sancta Maria Hungariae* Alumnus fuerat, duravit trienniô. Excellenti doctrina, pietate, solitudinis amore, Regularisque disciplinæ exemplô præcipue memorabilis. Hic erexit, & stabilivit studia Philosophiæ, & Theologiæ, cùm pro priori duo Lectores ex minori *Polonia* irrito conatu hoc ipsum pertentaverint.

Decimus quintus Pater *Franciscus Nizet* Belga, electus Canonicè anno 1699. duravit in Officio triennium. Fuit discipulus Patris *Elzearii*, & primus ex Provincia Fratribus *Lector*, insigni doctrina paucis secundus, comitate, sapientiâ, & disciplinæ Religiosæ zelô conspicuus.

Decimus sextus Pater *Modestus Sigrai* Pannon, electus anno 1702. duravit in Officio, ut *Custos* tribus annis, ut *Commissarius Custodialis* semestri, & ut *Vicarius* Custodialis totidem ferè mensibus, cùm illa turbulentissima temporum ætate facultas celebrandi priùs Capituli obtineri non potuerit. Fuit, & nomine, & re verè modestus, insuper donô orationis, singularis mansuetudinis, abstinentiæ, mortificationis, & disciplinæ religiosæ tam verbô, quam exemplô clarus.

Decimus septimus Pater *Emericus Lámprik*, Ungarus Claudiopolitanus, assumptus Canonicè 1706. de quo, & aliis, si qui supersunt nihil laudis apponere libuit, ne laudantem adulatio, vel laudatum pulsaret elatio, sed laudent eos ingenua posteritas, & opera eorum in portis.

Decimus octavus Pater *Franciscus Nizet*, secundò est assumptus 1709. duravitque tribus Annis inter strepitum armorum, pestis, & continua rum ferè infirmitatum miserias.

Decimus nonus Pater *Petrus Beze Siculus*, electus Canonicè Annô 1712. duravitque in Officio trienniô. Prædicatione verbi Divini, & laborum laudabilium virtute laudabilis.

Vigesimus Pater *Modestus Sigrai*, secundò reelectus Annô 1715. continuavit in Officio trienniô.

Vigesimus primus Pater *Capparus à Sancto Nicolao Siculus Uduarbellyi-*  
*ensis*,

ensis, electus Annō 1718. qui medio sui Officii tempore pia morte interveniente in vivis esse desit, Doctrinā, zelō observantiæ regularis, ac laborum laude commendabilis, magnæque spei, nisi ipsi Parcæ vitam invidissent. Ejus Officium continuavit sub nomine Vicarii Pater *Emsericus Lámprik*.

Vigesimus secundus Pater *Paulus Györfi* Siculus, ex Guardiano Csi-kieni Canonicè assumptus Annō 1721. continuavit per triennium.

Vigesimus tertius Pater *Antonius Schirmer* Germano-Bohemus, institutus Canonicè Annō 1724. qui in seculo fuit *Commissarius Bellicus Casareus*, unde etiam in Religione virtutis, prudentiæ, gravitatis, comitatibus, devotionis, ac disciplinæ Religiosæ laudibus meritò commendatur; Qui interveniente morte, Officiò ante tempus perfunditus,

Sedem Vicariam reliquit Patri *Pauo Györfi*.

Vigesimus quartus Pater *Alexius Csató* Siculus, qui ex actuali Theologiæ Lectore, & Secretario *Custodiali* assumptus est Annō

1727.



# P A R S T E R T I A,

Erectio Custodiaz in Provinciam.

## Q U Æ S T I O P R I M A.

Quandonam, & qua occasione erecta sit Custodia in Provinciam?

### §. I.

**I**NCIDENTE Capitulo Generali in Annum 1729. Reverendissimus Pater Matthæus à Pareta Minister Generalis, authoritate sibi de Jure competente, per patentes literas convocavit Annō 1728. cunctos totius Ordinis Vocales ad celebranda Comitia Generalia in Urbe Lombardia Mediolanensi Annō 1729. 4. Junii, quō, & noster pro tunc Adm. Reverendus Pater Alexius Csató Custos Provincialis citatus, faventibus Superis feliciter appulit; Ubi inter alia negotia de consensu Patrum dictæ *Custodia*, validis rationibus, & congruentiis innixam porrexit Diffinitorio Generali instantiam, ut sua *Custodin*, tam multis retrò annis, injuriā vel maximè temporum, & vicissitudinum suppressa, in numerum *Provinciarum* cum solitis privilegiis, honoribus, & præminentibus authentice erigeretur. Eximias vires addebat ejusdem supplicationi etiam recommendatio totius Incliti Status Catholici Transylvanicī tenoris sequentis.

### §. II.

*Venerabilissimum Diffinitorium Generale Seraphicum.*

**P**Osteaquam potiorem Nationis quondam Mariano-Hungaricæ partem, à vera Romano-Catholica Ecclesia ad hæreses deficere contigisset, adeoque invaluisse, ut vires, animūmq; ad tollendos Patres Spirituales, consequenter extirpandam Catholicorum perseverantium paucitatem convertisset, eādem sevitiā etiam Sacer Ordo in Transylvania Seraphicus maximum sui numerum Martyriō amittere, Monasteriis (paucis exceptis) se spoliatum cernere, ac pati debuit, unā cum manipulo

nipulo Catholicorum, sub persecutione Acatholicorum binis fermè sæculis gemendo; Tantâ nibilominus ferebatur Seraphica illa Sancti Ordinis reliqua animarum curâ, ut è quibus pro excitando tandem Catholicæ Religionis igne, nec scintillam quidem volebat hæreticus furor relinquere, ingens, ac jugis Patrum *Franciscanorum* labor, & solicitude ad fertilem messem non tantum conservaret, verùm augmentum, etiam per conversionem nonnunquam experiri liceret; Unde, quia singularem agnoscimus erga Sacrum Ordinem *Seraphicum* obligationem, ingratitudinis vitium declinaturi, quærimus, lubentésque amplectimur debita nostra rependendi occasionem, ac emolummentum (quantum in nostris situm est viribus) allaborare nitimur. Ad quod congruam rati prælentem Venerabilis Diffinitorii Generalis inductionem, præcipue cum ipsæ etiam rerum circumstantiæ votis nostris savere videantur, gratulabundi acceptamus, sequimürque adeò proprias temporis oblationes, nostramque pro Venerabili hac *Custodia Transylvanica* intercessionem exhibemus, in Provinciam elevari petentes; Nec abs re, siquidem tum in decorem Sac. Ordinis id tendere, tum verò ratio, & merita svadere dignoscantur: Pro Monasteriis enim Sacro Ordini quondam ademptis, alia in iisdem locis sunt acquisita, tum clausuris, tum personarum numerò ritè instructa; Insuper actu plures ædificantur *Residenciae*, mox in *Conventus* formales redigenda. Si vero merita considerentur, tantum est pro emolumento Sanctæ Matris Ecclesiæ per Sacrum huncce Ordinem in *Transylvania* præstitum, ut paucitas Catholicorum, tempore defectionis ad hæreses, in vera Fide perseverantium in milenos, & milenos jam excœvit numeros. Filiali igitur Venerabile Diffinitorium Generale fiduciâ rogamus, quatenus *Custodiam hancce Transylvanicam*, ad supradam Provinciam elevare Venerabile Diffinitorium Generale dignetur: Quo favore nos quoque ad ulteriora Sacri Ordinis servitia magis, ac magis obligati reddemur. Prout manemus etiam.

Eiusdem Venerabilissimi Diffinitorii Generalis  
Obligatissimi Servi.

Status Romano-Catholicus  
Transylvaniensis.

Datum Claudiopoli die 12. Mensis Martii.  
Annò Domini 1729.

Concordat cum Originali ad verbum.

E

S. III. Per-

## §. III.

**P**erpensis itaque perpendendis, Diffinitorum Generale ejusdem votis, ac justis postulatis annuendo, nostram Custodiam Statutum publico in Provinciam elevavit; Jamque ex consequenti opus erat, suprema manu providere de Ministro Provinciali, Custode Provinciae, ac duabus Diffinitoribus, prout & providit de jure sibi competente Reverendissimus Pater Minister Generalis, ut videre est ex sequentibus.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Sub cuius auspiciis erecta est Custodia in Provinciam?*

## §. UNICUS.

Remonstrabit evidenter sequens pagella, & in ea expositum  
Ministri Generalis Decretum.

Frater Joannes à Soto Minister Generalis, Lector Jubilatus, Catholice Majestatis in Regali Congressu pro Immaculata Concepcione Theologus, Indianum Commissarius, ac totius Ordinis Minorum S. Patris nostri Francisci Minister Generalis, O Servus. Reverendo Diffinitorio, reliquisque Superioribus, O Subditis nostræ Reformatæ Custodie in Transylvania salutem, O Seraphicam benedictionem.

**S**eraphicus Patriarcha S. P. N. Franciscus, Sacram Religionem suam nonnisi ad majorem Dei Gloriam, ac ubiores bonorum operum fructus in Ecclesia Dei proferendos instituere conatus est, cuius Successor non nostris meritis nuperimè electi, ad majus incrementum Seraphici istius Instituti promovendum, omni, quod possumus conatu, Nos esse obstrictos dignoscimus, desideratus autem ejusmodi effectus potissimum in Provinciis Ordinis nostri Regulatis coram saeculo elucescit. Ad hunc igitur ulteriorem effectum in nostris Comitiis Mediolani à die 4. Junii 1729. Canonice, ac legitimè celebratis, Reverendus Pater Frater Alexius Csato, Reformatæ nostræ Custodia Transylvania Custos actualis efficaces rationes, ac sufficientia motiva coram toto Venerabili Diffinitorio Generali proponere natus est, dum praefatam hanc Custodiam in for-

in formatam erigi postulasset Provinciam ; productis itaque , & allegatis authenticis attestationibus à Venerabili Discretorio ad causarum revisionem deputato matura consideratione discussis , cùm juxta Apostolicas , nostrique Ordinis Constitutiones Generales cuncta requisita pro formali Provincia adesse dignoscantur ; Eapropter supradictam Custodiam vigore hujus Decreti cum consensu totius Venerabilis Diffinitorii Generalis , ea authoritate , quâ ex concessione Apostolica fungimur , in formatam Provinciam erigimus , nominamus , & declaramus , illâmq[ue] inter alias nostri Ordinis Provincias erectam , nominatam , declaratam , & quâ talem haberi volumus , & mandamus : Proinde supereft , ut conformiter ad alias nostras Provincias ratione exigente , ejusmodi Neo-Erectæ , & declaratæ Provincia , de Patre Ministro Provinciali , Custode , & quatuor Diffinitoribus Paterna solitudine provideamus , prout , & hoc præsente Decreto providere intendimus , nominantes , declarantes , & instituentes , ad Instantiam Patrum Diffinitorii dictæ Custodie nobis factam , de plenitudine autoritatis nostræ in Proto-Ministrum Provincialem Reverendum Patrem Alexium Csató , in Custodem Reverendum Patrem Paulum Györffy Custodiæ Patrem , Patribus Diffinitoribus actualibus , Patri Joanni Acs , & Ladislao Bögözi adjungentes , & denominantes , Patres Joachimum Mártonffy , & Bonaventuram Zinder , hos insimul quatuor legitimos hujus noviter declaratæ Provincia Diffinitores , atque hocce Diffinitorum à nobis virtute harum taliter institutum , per triennium duntaxat à data præsentium durare volumus , & mandamus , illesam deinceps eligendi libertatem , Sacris Canonibus , nostrique Ordinis Constitutionibus stabilitam iis , quibus in Capitulis , & Congregationibus Provincialibus de Jure eligendi , & suffragandi potestas competit permittentes . Datum ex nostro Conventu S. Angeli Mediolani die vigeſima Mensis Junii Annō Domini 1729.

Frater Joannes de Soto Minister Generalis.

Registrat.

L.  S.

De mandato Reverendissimi in Christo Patris.

Fr. Hilarius Maria Banduri  
Secretarius Generalis Ordinis.

Concordat cum Originali ad verbum.

B 2

QUE-

## QUÆSTIO TERTIA.

*Quoꝝ, & quoſnam habuerit Provincia à ſui erectione uſque in præſens Miniftros Provinciales?*

## §. UNICUS.

**T**RES tantum numerat, quorum primus fuit Admodum Reverendus Pater *Alexius Csató*, authoritate Reverendissimi Patris Ministri Generalis in Capitulo Generali *Mediolanī* habito creatus Annō 1729. 4. Junii.

Secundus: ( ex Canonice elec̄tis itidem primus ) Admodum Reverendus Pater *Paulus Gyôrffy*, in primo, & ſatiſ celebri Capitulo Provinciali *Medgyesini* in ſupreſſo Conventu Beatæ Virginis, ſinē labē concep̄ta Annō 1732. 29. Junii electus.

Terius Admodum Reverendus Pater *Ladislaus Bögözi*, ex quinquenali Ex-Diſſinatore, & actuali Guardiano *Mikháziensi* Canonice elec̄tus Annō 1735. 4. Julii.

Subsequentium nomina, prærogativas, ac merita, grata Posteritas ſtudebit ſuis transmittere.

## QUÆSTIO QUARTA.

*Num etiamnum impreſentiarum duret Miſſio Apoſtolica, & Prefectura in Provincia?*

## §. UNICUS.

**D**urat omnino, durabitque donec Schismata ſupererunt in Provincia; Quamquam Divinā favente gratiā, Patria iſthmē, tam Admodum Reverendis Curatis, ac diverſorum Ordinum eximiis Religiosis copioſe reſpectiue ſit proviſa.

Averet forſitan quiſpiam nōſſe, quo fructu, & emolumentō currat impreſentiarum etiam Miſſio noſtra *Transylvanica*? Cucurrit certò ſemper, & etiam de præſenti currit non exiguo cum fructu, quamquam in iis adnotandis, & Sacræ Congregationi ſuis temporibus repræſentandis, ſequiū, ſi non negligentia, longæ tamen dilationes intervenire. Videatur partis ſecundæ, Quæſtionis quartæ §. 13.

Nos

Nos quoque libenter delituissemus iisdem rationibus ducti, nisi auctoritate Majorum fuissemus in publicum protracti; Res sic se habet: Anno 1734. 10. Aprilis, accepimus ipsi, qui hanc opellam contexuimus, Literas ab Illustrissimo Domino Nuntio Viennensi, in quibus indirecte vel nostra, vel Prædecessorum nostrorum ignavia castigatur, aut nos apud Sacram Sedem insimulantium invidia proditur.

Literæ Illustrissimi Nuntii sic sonant. Cùm Sacra Congregatio de Propaganda Fide Admodum Reverendam Paternitatem vestram deputaverit Praefectus Missionum sui Ordinis in Transylvania, ac earundem majori cum fructu prosequendarum causâ . . . . Ministerii mei partes implens Admodum Reverendæ Paternitati vestræ hisce committo, ut pro suo in Religionem Orthodoxam zelo me certiorem reddat: quomodo, quovis fructu Missiones per Religiosos suos, in Transylvania peragantur. Quibus adstimulatus tam Eidem, quam Sacra Congregationi exhibui conscientiam, ac juramento firmatam attestationem super fructibus, quos Divina gratia assistente Fratres nostri ab Anno 1732. usque ad præsentem 1734. in horrea Domini comportaverunt.

|                                                                                          |        |
|------------------------------------------------------------------------------------------|--------|
| Ex hæresi Calviniana conversi                                                            | 131.   |
| Ex Lutherana                                                                             | 95.    |
| Ex Ariana                                                                                | 23.    |
| Ex Græci Ritus Ecclesiæ, ut circumseritur, unitis sancti Romano-Catholici.               | 38.    |
| Apostata à Fide reducti.                                                                 | 23.    |
| Extrema Unctionis Sacraenta administrata.                                                | 817.   |
| Sacraenta Pénitentia & Viatice ægrotis administrata.                                     | 12040. |
| Baptizati ex Christianis Parentibus.                                                     | 958.   |
| Sacra Confessio & Communio sanis, ut minimum administrata.                               | 34246. |
| Conciones, & Catecheses extra Conventus vicatim plurimis in locis habitæ frequentissimè. |        |

Literas Illustrissimi Domini Nuntii Viennensis subsecente anno 1735. subsequebatur Eminentissimi Domini Vincentii Petra, Sacra Congregationis Cardinalium Praefecti, nomine dictæ Sacra Congregationis sequentis tenoris Epistola.

Reverende Pater

**S**ingulari quidem gaudiō exceptit hæc Sacra Congregatio Literas Paternitatis tuæ, quibus eam de istis *Missionibus*, & *Gymnasio Ordinis* tui Patribus commissis, certiore reddere non omisisti, etenim tum de Scholasticæ Juventutis proœctu, tum de utilitate, ac fructu earundem *Missionum* plenè contenta, Paternitatis tuæ, ac cæterorum Patrum operam meritis laudibus commendare non est dedita. Nomine igitur ejusdem Sacrae Congregationis Paternitatem tuam de ipsis amore, ac voluntate nullatenus ambigere cupio, ac demum precibus tuis me enixe commendabo.

Romæ 18. Martii 1731.

Paternitatis Tuæ Studiosus

Vincentius Cardinalis Petra Praefectus.

S U P E R S C R I P T I O.

Patri Paulo Gyôrffy, Ord. Min. Reformatorum Ministro Provinciali, ac *Missionum Transylvaniæ* Praefecto.

Concordat ad verbum cum Originali in Archivo reposito.



PARS

# P A R S Q U A R T A,

De numero Conventuum, Residentiarum, & Domicilio-  
rum Provinciæ Transylvaniæ.

## Q U Ä S T I O U N I C A.

*Quotnam Conventus habeat mentionata Provincia?*

### §. I.

**D**E antiquioribus illis, quos actu non tenemus amplius memi-  
nisse quid juvat? Formatos ergo Conventus numerat sex: *Csik-*  
*Somlyóviensem*, *Mikháziensem*, *Cibiniensem*, *Esztelnekiensem*, *Vajda-*  
*Húnyadiensem*, & *Claudiopolitanum*. Conventus verò suppressos, nunc  
tantum Residentias itidem sex: *Szász-Medgyesensem*, *Coronensem*, *Udvar-*  
*helyiensem*, *Szász-Városensem*, *Szász-Sebesiensem*, & *Gyergyaiensem*. Residen-  
tias tres: *Deesiensem*, *Segeváriensem*, & *Alba-Carolinensem*. Quibus ac-  
censetur Conservatorium Sotorum Religiosarum Veteris Claudiopoleos, legi-  
tima auctoritate erectum, & Provinciæ incorporatum.

### §. I I.

**P**RIMUS formatorum Conventuum Provinciæ est *Csik-Somlyóviensis*,  
Mater, & Seminarium Provinciæ, Titulô, & Patrocinîô Beatæ Vir-  
ginis *Visitantis* Insignitus. Primitus à quonam erectus, aut fundatus  
fuerit, velut certum afferere non possumus. Rationabiliter itaque sup-  
ponere possumus, quod ex puris Eleemosynis devotorum Fidelium ac-  
ceperit fundamenta, cum incrementis; Qui tantam sui in antiquis ru-  
deribus cuidam solido lapidi Annorum incisione jactat antiquitatem, ut  
olim, etiam Ordinem nostrum ætate excessisse, non sine fundamento di-  
xeris, siquidem in pariete Cellæ, quæ ab antiquo *Lábos-Ház* nomina-  
tur, hodiecum visitur quidam lapis in ambitelli (quod in domum Pan-  
nificinæ iter) murô inclusus, qui etsi cum reliquo pariete sit dealba-  
tus, peroptim tamen monstrat sibi supernè incisos duos magnos cha-  
racteres C. C. & infra 1208. quos explicare, & dicere *Conventus Csiki-*  
*ensis*

*ensis significare, quid vetat? Cùm autem constet Religioni Seraphicæ S. P. N. Franciscum fundamenta jecisse Annō 1210. Religionem verò nostram primò inventam fuisse in Hungariam Annō 1440. conjicimus prima fundamenta Conventus hujus facta fuisse pro alicujus alterius antiquioris Religionis Alumnis, Quandonam verò, & qua occasione ad nos transierit, afferere non possumus.*

Imminent huic Conventui supernè duo colles, aliis aliò eminentior, uterque ab immemorabili *Somlyó* vocitati; Minoris quidem à quo *Salvator* nominatur, memoria designari non potest, putem ob devotissimum Sacellum in honorem Sanctissimi Salvatoris in eodem à fundamento, ex lapidibus opere Cementarii eleganter exstructum, magnáque in devotione à fidelibus Populis usque hodie habitum. Alius ille altior collis monstritat ruderum fundamenta in culmine suo, cuiusdam exigui, ac informis Castelli, qualia olim in multis *Transylvanie* collibus Gentilitas exædificare solita erat; Castrum hoc traditur antiquitus fuisse vocatum *Só - Vár*; putaverim igitur Gentem nostram à sua conversione ad Fidem Christianam, minorem collem *Somlyó* duplice de causa nominasse *Salvator*, primâ: ob Sacellum Sanctissimi Salvatoris in eo exædificari excogitatum. Secundâ: in detestationem, & anathema perpetua obliviosis gentilis superstitionis, & Castri *Só - Vár*.

Placeat hic se reflectere benevolo Lectori ad ea, quæ de nomine Provinciæ *Sanctissimi Salvatoris* questionis præliminaris numerò 6. scripsimus, neque enim adeò deperimus proprios sensus, quin etiam sibi liberenter relinquamus materiam exercendi acuminis.

Tandem non abs re dixerimus Conventum hunc fuisse primum in Provincia *Sanctissimi Salvatoris*, ex eo, quia antiquissimus, & sibi de proximo adhærens collis, ab immemorabili ætate vocitatur *Salvator*; Tum etiam, quia inter *Custodias* illius Provincia hæc deprehenditur fuisse amplior, & celebrior, & forassis absciso etiam hoc Conventu, cum *Custodia* à præfata Provincia, suum pro nunc Conventum *Gyöngyösiensem* Beatissimæ Virginis Mariæ, hanc ob causam, sub titulo *Visitantis* ut Matrem demeretur; Nec enim crediderimus duos Conventus in eadem Provincia necesse fuisse eodem vocabulô intitulare, siquidem quam plurima sint mysteria Beatæ Virginis, ex quibus diversimodè intitulandi data fuisse occasio.

Conventus iste *Csik-Somlyovienensis*, vel verius dixerimus Beata Virgo, cuius

cujuſ honori dicata eſt Ecclesia, ſcire non poſſumus, quā occultā gra-  
tiā, adeo ab antiquo in ſui venerationem pertraxerit animos, ut non ſo-  
lū ex vicinioribus *Transylvaniae* locis, ſed etiam ex Principatu *Molda-*  
*via*, partibꝫque *Hungaria* copioſiſſima conſeverit huc confluere plebiſ  
corona, ſignanter pro *Sacratissima Pentecostes* Dominicā, quam de-  
voṭionem, calamitosiſſimis quantumviſ tempeſtatibus, uſque iſpræ-  
ſentiarum nunquam intermiſerit; Tanta denique fuit, & eſt huc con-  
currentis Populi frequentia, cui haſtenus in Regno paſem videre non  
fuit, nec ſperamus viđendam, niſi demeritiſ noſtriſ, aut Populi, Di-  
vi-  
nā providentiā imminui contingat.

## M E M O R A B I L I A.

**I**N majori Ara hujuſ Conventū exſtat antiquiſſima Beatae Virginis  
Statua, in brachio laiſtro paryulum Jefum geſtans, ſtaturā quem-  
cunque (niſi monſtrosē niſium giganteus quis ſit) adæquans, eſtque  
omniā miraculis percelebris: Dolendum equidem eſt, quōd defectu  
obſervationum, & adnotationum ferè nihil, aut pauca de miraculis  
prodiſa ſciamus.

Fertur Conventum hunc, imo, & ſcriptis ſignatum habemus, aliquo-  
ties ab Infidelibus ad incitas redactum, ſed auxiliante Deo toties reſti-  
tutum; memorabilior eſt clades illa, quam Turca *Alli-Bafa* intulit An-  
ño 1661. 21. Octobris, in qua piæ memorię laudatiſſimus, juxtaque  
devotiſſimus Pater *Nicolaus Somlyai* Guardianus, in Sylvis penes vi-  
cum *Csomortán* à Barbaris peremptus; Pater *Petrus Pálfalvi* ſub tecto Ec-  
clesiæ exuſtus eſt; Frater *Jofephus Szent-Imrei* Novitus penes *Fitód* in  
Sylvis, Frater *Joannes Kololvári* Laicus Profellus in Alpibus poſt *Szép-*  
*havas* capite mulctati, diem extremaſ clauerunt. Quatuor alii Fratres  
*Paulus Belfei*, *Elias N. Jacobus Græcus Clerici*, & Frater *Antonius Makai*  
Laicus, in captivitatē duci, unde miſerente Deo, brevi elapſi inco-  
lumeſ redierunt.

Post cladem hanc ſollicitudine aliquot Guardianorum, & ſignanteſ  
Patris *Casimiri Domokos*, & Ecclesiæ & Conventus longè decentiūs, ac  
firmiūs reſtitutus eſt ex Fidelium piis largitionibus, quoſ inter amplio-  
rem tulerunt opem pientiſſimæ Viduæ Serenissima Principiſſa *Sophia Bá-*  
*tori*, & illuſtriſſima Comitiſſa *Maria Szécsy*, Relicta *Francisci Veselényi*

Palatini quondam Hungariæ, de quarum profusissima largitione videat, cui licuerit, Patris Joannis Kajoni manuscripta in libro, qui *Niger* appellatur. Incurcio etiam *Tökölpii*, non paucis stetit huic Conventui, imò toti tunc *Custodia*, de qua in specie amplius loqui desistimus.

Calamitates has excipiebat bina eruptio Tartarorum Annô 1694. Prima contigit 13. Mensis Februarii, quo die magnam partem Populi *Csikienfis* in captivitatem asseruit hostis Barbarus; Religiosorum enim nostrorum magna pars ipsâ, vel subsequenti die profugit ad *Három Szék*, duobus, tribusve tantum Religiosis ad omnem fortunam pro custodia Conventus remanentibus: Sed ecce abscedentibus Barbaris, dum se cuncti in seculo positos existimant, decimâ quintâ ejusdem Mensis, & Anni translationi S. Antonii Padvani Sacra, hostis iterato majori in numero revertitur, & quamquam latius, quam antè excurreret; maximâque de Populo ageret prædam, Conventus tamen Religiosi, reliquaque eò confugiens promiscuus Vulgus, Deo, & Beata Virgine propitiis, nihil adversi incurrerunt.

Illud quóque memoriâ, ac etiam laude dignum existimamus fastis nostris inserere, quod hac ipsa die Juvenis quidam Presbyter Theologî studens, natione Belga, Pater *Franciscus Nizet* ad avertendos à Conventu Barbaros excogitavit, & objecit: aderat enim adhuc conserta Juventus Scholaris cum promiscua Populi multitudine illuc confugiente; Ergo Pater *Franciscus* cunctis, tam Viris, quam Mulieribus porrigi curat singulas oblongas perticas (quæ protunc pro sufficiendis Lupulis comportatae fuerant) loco hastarum, in quibus majores nostri pugnare consueverant: Vittas candidas (quales muliebris sexus hic deportare consuevit) Mulieribus detrahi jubet, & pullis amiciri, aut quibus decessent nigra tegumenta, discoopertis etiam capitibus adesse jubet. Sic ergo dispositos educit è Monasterii septis in planum conspicabilem, & aliqualiter à reliquo circum spacio acclivem, ibique disponit in ordinem (viderat enim pro priori in statu Sæculari qualiter acies ordinentur, saltē in exercitio) primi erant Studiosi cum quatuor, vel quinque vexillis, & tympanis, ludebant quidem subinde constrepando alii etiam, sed plurimum dabatur soli Illustrissimo Domino Comiti *Adamo Kálnoki*, qui more militari Germanico optimè noverat tympana pulsare; Visò hōc spectaculō, & acie facta, ac facta (non tamen deerant in turba equites, peditesque tam animō, quam armis parati, et si pauci respergivit)

ctivè) hostis declinavit Claustrum, & in *Csik* inferiori cursim valde aliquam exiguum prædam faciens, ocyùs redire ad properavit.

Claudemus Memorabilia hujus Conventūs pro Posteritatis informatione, Columnā opere Cementarii non adeò ineleganter in angulo intermeridionali, & occidentali exterioris ambitūs erectā. Priusquam verò ad relationis meritum veniamus, benevolum Lectorem reflexum cupimus, ad celeberrimum concursum Populi pro Dominica Pentecostes, quicis sive ex curiositate, seu aliò quoconque motivō immiscere se solent etiam hæretici proximarum partium, & raro quin plures illa ipsa occasione oculis expostam cernentes devotionem non convertantur. Scriptotenus nobis traditum non venditamus, audivimus tamen nos ipsi ab antiquioribus, & integræ vitæ Religiosis nostris, ( qui & ipsi pari traditione ab aliis acceperunt ) quòd in supradicto exterioris ambitūs angulo fuerit fixa Crux lignea satis præalta, quæ in Sanctissimæ Dominicæ Pentecostes Solemnitate, coram maxima Populi frequentia, ad elevationem Sacratissimarum specierum Altaris, binis vicibus sese profundissimè inclinaverit; Hinc igitur devotissimus Pater *Nicolaus Somlyai* Guardianus Conventūs, illam columnam opere Cementarii superindui curavit, & desuper honestè tegi, ne Populi illuc recurrentis simplici devotione per particulas abrasa periret. Nostro à vobis quidam ex Superioribus ( celamus nomen ) partem illam Crucis, quæ ex columna eminebat, excendi curavit, & supernè in locum ipsius unam Christi Crucifixi, sed planè deformatem, & nullius proportionis statuam apponi curavit, abscissa tamen dictæ Crucis pars in Ecclesia, aut Conventūs recto reposita fuit, prout nobis relatum fuit. Mereretur certò, ut requisita aliquo decenti, ac Sacratori loco reponeretur.

Hæc de isto Conventu, & memorabilibus dicta sufficient, reliquorum Conventuum, Residentiarum, & Domiciliorum Religiosorum descriptionem, brevi tantum calamō prosequemur.

### §. III.

**S**ecundus est *Mikbáziensis*, à Pago *Mikbáza*, ubi ædificatus est, sic dictus, cujus fundamenta à quo jacta sint Annō 1635. sub titulo S. Regis Stephanī, videri poterit in authenticis Provinciæ Monimentis. Situs ejus, undecunque consideres, supra collēm est renidentissimus. Latus

Pagi occidentale gratosō susurrō præterfluit lympidissimus amnis Nyárád, diversis, ac optimis piscibus magno nostri cum emolumento copiosissimus. Latus Conventū intra Orientale, & Meridionale alluit rivulus non spernendus, Peres nominatus, diversis pariter, gratosissimisque piscibus, præsertim saxatilibus, & cancris resertus.

### §. I V.

**T**ertius Conventus est Magno - *Cibiniensis* Titulō S. Patris Nostri Francisci insignitus, nostris legitimè collatus Annō 1716. ab Excellentissimo, ac Illustrissimo Domino Comite, Domino Stephano Steinville Commandante Generali *Transylvaniae*; Collationis Instrumentalis Originale habetur in Archivo Incliyti Magistratū *Cibiniensis*: Extraditum etiam nostris fuit ejusmodi literale Instrumentum, quod quorsum, & ad quem devenerit, usque ad præsens deprehendi non potest, habemus tamen illius simplicem latini idiomatis Copiam.

Si casu quo olim hujus Civitatis Magistratus aliquid intentaret ad nos perturbandos, imò exturbandos, eò quod in transactione positas aliquas conditiones (quas pro non adjectis habemus) non servaverimus, monstramus futurae posteritati, ubi se se inveniat, & quomodo tueatur, nimirū §. 3. Protocoli Provincialis Tomo 1. in descriptione Conventus *Cibiniensis* ab istis verbis: *consensit Venerabile Diffinitorium usque ad Memorabilia.*

Conventus iste, de quo agimus olim fuit Monialium, & probabilius Ordinis Nostri, quod conjicimus hinc, quia proximè nostrum grande, & antiquissimum Monasterium fuerit positus, quem nunc Moniales Ursuline ab uno, alteróve Anno infederunt; quémque (nisi sua Majestas, ut Rex Apostolicus ipsis contulit) illegitimè, & nulliter tenent, cùm res omnes usui Fratum Minorum concessæ, præcipue Ecclesiæ, sint juris, proprietatis, & Dominii Summorum Pontificum.

### §. V.

**C**onventus quartus est *Esztelnekiensis*, sic dictus à Pago Eſtēlnek, in cuius extremis intra-Occidentalibus, & Orientalibus est ædificatus

tus sub Titulo , & Patrocinio S. *Georgii Martyris* , originem suam refert ad Annum circiter 1684. Propriè dictum habet Fundatorem neminem, non tamen omnino prætercurrenda est memoria in rei veritate pientissimi quondam Admodum Reverendi Domini Moysis Nagy , qui nobis hic loci, Religiosis candidissimi Ordinis S. Pauli primi Eremitæ , *Illye-salve* , & Religiosis Fratrum Minorum Conventualium ( nō fallimur , & ideo absolute non asserimus ) *Kanta* primos passus aperuit ; Hic Apostolicæ paupertatis , & signanter S. Pauli Apostoli insignis Æmulator , quidquid laboribus , ac industriâ suâ acquirebat , paucis admodum pro sui vera necessitate retentis in pauperes Studiosos , Religiosos , ac etiam triviales , & in hos non tantum , qui ad se stipis petenda gratiâ accederent , sed etiam in illos , quos ipse de industria ad se accenseret , distribuebat ; Panneò nunquam usus amictu , exceptâ contra hyemis injurias pullâ , & rudi clamide. Cæterum ejus toga talaris erat ex simplici , & grappa tela denigrata : laudabili exemplo remonstrans in se illud Apostoli : *habentes autem alimenta , & quibus tegamur , his contenti sumus* 1. *Ti-*  
*mooth. 6. v. 8.*

### §. V I.

**C**Onventus *Vajda-Hunyadiensis* quintus , olim à Principe *Joanne Hunyadi* eleganter , Regiaque planè munificentia inchoatus pro Eremitis S. *Augustini* ; sed à Rege *Matthia* absolutus , & à *Paulo Secundo Summo Pontifice* ad instantiam modò dicti Regis , datus fuit nostris , Provinciae *Sanctissimi Salvatoris*. Postquam verò totum Monasterium , unà cum Ecclesia ( exceptâ solùm præaltâ , & firmissimâ Turri ) injuriâ hæreseon eversum , plurimos per Annos in suis ruinis sepultum gemuisset , ab Excellentissimo Domino Comite , *Domino Stephano Steinville* Commendante Generali *Transylvanie* restitutum est nostris Anno 1710. voluntatem ejus exequente , terminosque possessionis ponente in facie loci Illustrissimo pariter Domino Barone *Stephano Tige* sui Regiminis prout supra Colonello .

### §. V I I.

**S**Extus est veteris *Clandiopoleos* sub Titulo Beatae Virginis ad Nives , qui ab ævo fuit ædificatus pro Religiosa Familia S. Patris Dominici , quæ postquam

postquam ex illo injuriâ temporum excisa fuerat , plurimis Annis fuit in protano usu heterodoxorum , at circa finem præteriti sœculi ad instantiam Inclyci Status Catholicî , à pientissimæ memorię Leopoldo Primo Romanorum Imperatore , & Rege Hungariæ restitutus est Catholicis , sub cura Admodum Reverendorum Patrum Societatis Jesu , qui postquam multis impendiis in platea Thordensi magnificentissimam Basilicam , eidemque immediatè adjacens Collegium , Seminarium , & Aulam Academicam exstruxissent , dictus Inclycus Status Catholicus eodem , quod possidebat jure , accedente etiam Illustrissimi Domini Joannis Antalffii Ordinarii auctoritate , Nostris est extraditus Annô 1725. 13. Mensis Junii S. Antonio Sacra.

Noster antiquus Conventus pariter sub Patrocinio B. Virginis (sub quo mysterio, Nōs adhuc usque nunc latet ) in Platea Lupi ad angulum Cœnitatis hyberno orientalem exstructus , fundatusque fuit à Rege Hungarie Mattheia , cuius rei testimonium authenticum dicti Regis manu propria , ac usualis Sigilli appressione firmatum exstat in Archivo B. Virginis Mariæ de Colos-Monostora , authentica autem ejusdem Copia in nostro Provinciali.

### §. VIII.

### CONVENTUS SUPPRESSI.

**P**rimus Conventuum Suppressorum est Vallis Gyergyó , in extremitate Pagi Szár-begy ad plagam septentrionalem in latere collis Sármány , qui locus nostræ olim Custodia cum fundis sufficientibus , ac quinque sat capacibus ex muro in modum crucis exædificatis Sacellis , quarum hodie tantum tres extant , nam duæ aliae operâ , ac industriâ nostrâ versæ sunt in Ecclesiolum , cum eleganti Turri , fuit concessus , & donatus circa Annum Domini 1665. à Spectabili , ac Magnifice Domino Stephano Lázár , Sedium Siculicalium Csik , Gyergyó , & Kászon supremo Judice Regio.

### §. IX.

**S**ecundus Udvarehelyiensis in oppido Udvarehely circa initium hujus sæculi Annô 1706. à nostris iæcessus , & exstrui cœptus sub Patrocinio SS.

SS. Apostolorum Petri, & Pauli: Primis pedibus spatia fecit Admodum Reverendus Dominus Stephanus Lakatos, supremus Archi-Diaconus Sedium Siculicalium Csik, Gyergyó, & Kázon, jámq̄e accessu circumcirca diversorum Fundorum sat copiosè est dilatatus, situ gaudet in toto Oppido peramcenō. Quinque, vel sex ad summū ab hinc retro annis, multā industriā, ac impensis exēdificavimus hic loci Ecclesiam grandem, ac elegantissimam ex puris Fidelium Eleemosynis. In proximè adjacente ruinato Castro habuimus olim grandem Ecclesiam, & Conventum per omnia paratum, ex quo suimus deturbati à Principe Joanne Zápoli juniore.

## §. X.

**T**ertius est *Medgyesienis* à libera Regiáque Civitate Saxonicali sic dīctus, olim etiam titulō, & Patrocinio B. Virginis fuit insignitus, qui à Nostris, Annis ab hinc prope centum, & nonaginta fuit inhabitatū, sed injuriā Lutheranæ factionis exinde suimus exturbati, ubi verò aura melior cœpit spirare, Religionique Catholicæ propagandæ passus aperiri, Anno 1721. 15. Novembris, antiquis Possessoribus restitutus est ad interpositionem Excellentissimi, ac Illustrissimi Domini S. R. I. Comitis *Hugonis Damiani* à *Virmond* Commandantis Generalis *Transsylvaniae*, nostri Ordinis raro exemplō valde amantissimi. Locum quod atinet, est saluberrimus, & ultra fidem amoenus. Plura qui volet de hoc inveniet tam in libro hujus Conventūs, quam in Protocolo Provinciali.

## §. X I.

**Q**uartus est *Coronensis*, in Platea S. *Joannis*, unde ansam sumentes, Ecclesiam ibi recentissimè restauratam titulō S. *Joannis Baptiste* placuit insignire. Olim fuit Sanctimonialium, excisis autem iſtis, plurimorum annorum decursu fuit in usu Sectariorum Lutheranæ Religionis, ex pōst autem circiter annum hujus Sæculi 1723. extraditus fuit legitimè Romano-Catholicis sub cura Admodum Reverendorum Patrum Societatis Jesu, qui quidem aliquamdiu in usu Sacro habuerunt, sed Tempelli, ac etiam spatii angustiā, vel quibusunque aliis ex motivis loci pertat, tamdiu egerunt per Generalem Commandantem apud Magistras-

stratum, quod pergrandem Ecclesiam honori SS. Petri, & Pauli Apostolorum dicatam una cum grandi Monasterio adjacente sibi vendicaverunt. Iste olim fuit ædificatus pro Familia Ordinis Prædicatorum, dehinc, quando, & qua de causa nescimus, venit in possessionem Fratrum Minorum Conventualium, ultimatum ad Nos Fratres Minores Provinciae Hungariæ Sanctissimi Salvatoris. Ita habent Annales Societatis Jesu, ex quies communicatum habemus ab Admodum Reverendo Patre Francisco Pártiner, hujus Residentiæ olim Superiore. Ecclesiola S. Joannis ad cultum Catholicorum reconciliata, cum exiguis ruderibus antiquorum Domiliorum, & spatio, mansit juris Catholicorum, postquam etiam eximii Societatis Jesu Religiosi inde transierunt, que post multas instantias à nobis depositas, Annō 1724. 22. Mētis Maji, Nobis personaliter præsentibus, & nomine pro tunc totius *Custodie acceptantibus*, Excellentissimus, ac Illustrissimus Dominus S. R. I. Comes Josephus Lotharius de, & à Kinigsegg Commendans Generalis Transylvaniae &c. possidenda, & *Custodia* incorporanda tradidit.

### §. XII.

**Q**uintus Szász-Városiensis ab Oppido Szász-Város sic nominatus, ubi etiam olim extitit prægrandis Ecclesia cum Monasterio, ædifica ta sumptibus pientissimæ Reginæ Hungariæ Elisabethæ, de qua vide supra. Præsentis autem saeculi 1730. postliminio ad interpositionem Excellentissimi, ac Illustrissimi Domini S. R. I. Comitis Francisci, Pauli à Vallis Commandantis Generalis Transylvaniae, Admodum Reverendo Patri Alexio Csató Ministro Provinciali, ac in ejus Persona Provinciae ritè possidendum restitui curavit, in præsentia plurium magnæ authoritatis hominum..

### §. XIII.

**S**extus est Szász-Sebesiensis, in angulo Civitatis æstivo Orientali cum satis ample quidem pro nunc spatio, non tamen totò, cuius aliquas partes incident, adhuc quidam Civium; quem ad industriam mox dicti Admodum Reverendi Patris Alexii Csató idem ipse Excellentissimus, ac Illustrissimus Dominus S. R. I. Comes à Vallis Nobis restitui curavit, Annō

non pariter hujus s<sup>e</sup>culi 731. die 31. Mensis Octobris; In territorio hujus reperiuntur satis capacis Ecclesiæ integra sinè tecto rudera, cum exiguis retro Ecclesiam antiquorum Domiciliorum Religiosorum ruderibus. Exstant pariter in fundo hujus Residentiæ sub eodem tecto duæ Domunculæ, atrium, & cellare.

## §. X I V.

## R E S I D E N T I A R U M

**P**rima est *Dœfensis*, ab Oppido Dœs, in quo posita est, sic nominata, & Ecclesia honori S. Antonii de Padva satis firmiter, ac eleganter, sed in loco minus apto ædificata; Primos passus fixit hic Provincie Annō 1712. in exiguo spatiolo, à pluribus Compositöribus Benefactoribus Catholicis collato, in cuius ampliori descriptione non immoramus, sed hęc sufficient posteritati informandę, qui plura vult nōsse, inveniet in Urbario Residentiæ.

## §. X V.

**S**ecunda est *Segeſváriensis*, à Libera, Regiaque Civitate Segeſvár nominata, sub Titulo, & Patrocinio Sancti Joseph, Sponsi B. Virginis Mariæ. Hic loci nunquam hactenus potuimus deprehendere ex ullo scripto, vel non scripto Testimonio, Nos olim habuisse Conventum, vel Domicilium; Ad interpositionem tamen Excellentissimi, ac Illustrissimi Domini S. R. I. Comitis Josephi Lotharii à Kinigsegg Commendantis Generalis pro tunc *Transylvanía* in superiori Civitate obtinuimus Annō 1723. 24. Mensis Novembri, quoddam spatiolum cum Ecclesiola, quam Noſ ipsi decenter superinductis fornicibus reparavimus, cui contiguè junctæ sunt aliquot Domunculæ bicontigua; Quos ex post factura sit progressus, eventus docebit.

## §. X VI.

**T**ertia est *Alba-Carolinensis*, ab Inclita Civitate *Alba-Carolinensi* denominata, ubi pari modo Nos Conventum, vel Residentiam habuisse, nullis planè documentis authenticis usque hodie valemus remonstrare

strare, nisi singularis Dei Providentia, tale aliquid ex repositoriis publicis in lucem protraxerit. Pro nunc ubi isthac Residentia existit, toutes, quoties aquæ exundant, tam foedis obnoxia est inundationibus, ut si quis ad planum Areæ è Domibus egrediatur, cingulotenus, & ultra necesse sit, ut aquis immergatur; Eapropter, quia ex hoc incommodo loco ad tutiora migrare meditamur, nihil speciale, & memoria dignum judicamus ultrà apponere.

### §. X V I I.

**D**E futuro Monasteriolo, nunc Conservatorio Sanctimonialium Ordinis S. Clare Virginis Claudiopoleos ex propriis ædibus Fundatricie Spectabilis, ac Magnificæ Viduæ Clare Felvinci legitima auctoritate eretto, & magna ex parte ad normam Religiose ædis formato, plura memoriarum tradere non libet, donec ad suam debitam, quantum fieri poterit perfectionem pertingat.

### §. X V I I I.

*Continet reliqua Domicilia, olim faventibus Superis, mediisque accedentibus, in Residentias, & Conventus successivè formanda.*

**P**rimum est Maros-Vásárhelyiense in amplissimo ejusdem nominis Oppido Annō 1735. acquisitum, & insessum.

Secundum est Thordense in Oppido Thorda Comitatū ejusdem nominis, Annō eodem acquisitum, & insessum.

Tertium est Fagarasense in frequentissimo Oppido Fagaras eodem ipsō Annō acquisitum.

Plenitudo ipsius Chronicī svadere videbatur, ut in Principum, Heroum, Procerūmque Transylvaniæ nostræ, ipsorumque pro Republica, intus, forisve præclarè gestorum, nec non magnitudinis animi in utrāque fortuna, declarandas laudes tantisper expatiaremur, contraximus nihilominus consultò vela certis de causis: Ne scilicet in celebrandis vi-tâ funerorum encomiis aures verberando actum ageremus: Ne posteritati illorum ansam præberemus cogitandi, Nos ejusmodi laudibus, ex adulacione insistere, quæ certò animis etiam fortium plerūmque passu imperceptibili, mitum, quam subtiliter sese insinuare soleat; Arbitrabamur

bamur denique magnis animis ( qui nonnisi magnorum , præclarorūmque laudibus delectantur ) posteritatis , de Nobis tametsi maximè benè meritæ , rem multò gratiorem Nos facturos prætereundo , quām Nostræ exilitatis rudi penicillo sui , suorūmque laudibus , utrūcū insistendo .

Claudimus igitur opellam hanc cum humillimæ demissione ad judicium S. Matris Ecclesiæ , & quidquid in toto decursu contextū , signanter de Sanctis , & Beatis , de Miraculis , & Mirabilibus , hinc inde interspsum reperitur , non nisi in sensu Sanctæ Matris Ecclesiæ accipienda esse volumus , & cupimus , ad præscriptum Decretorum Apostolico-rum , præcipue Sanctissimi Domini Urbani VII.

F I N I S.

G 2

I N-



## INDEX QUÆSTIONUM HUJUS OPELLÆ.

- Quoniam ævō in vectus in Hungariam Ordo Minorum? *Parte I. pag. 1.  
quæst. 1.*
- Quamdiu duravit antiqua Custodia Transylvanica SS. Salvatoris, quidque cum illa successu temporis actum? *P. I. pag. 5. q. 2. §. 1. & seqq.*
- Quibus partibus Transylvaniæ nova Dogmata incendium iatulerint? *P. I. pag. 7. q. 3. §. 1. & seqq.*
- Quando, & quomodo nostræ Religioni post disturbia hæreseos passus sit apertus? *P. 2. pag. 11. q. 1. §. 1. & seqq.*
- Quando, & quomodo Conventus Csikiensis cum reliquis locis in novam Custodiam fuerit erectus? *P. 2. pag. 14. q. 2. §. 1. & seqq.*
- Quibus incommodis neo-erecta Custodia laboraverit, & qua ratione paci illius consultum fuerit? *P. 2. pag. 22. q. 3. §. 1. & seqq.*
- Quo emolumento, & fructu exercita fuerit olim Missio nostra Transylvanica? *P. 2. pag. 27. q. 4. §. 1.*
- Nomina Custodum Regiminis, seu Provincialium ab Anno 1640. usque ad Annum 1729. *ibid. pag. 28. §. 2.*
- Quandonam, & qua occasione erecta sit Custodia in Provinciam? *P. 3. pag. 32. q. 1 §. 1. & seqq.*
- Sub cuius auspiciis erecta est Custodia in Provinciam? *P. 3. pag. 34. q. 2.  
§. Unicō.*
- Quot, & quosnam habuerit Provincia à sui erectione usque in præsens Ministros Provinciales? *P. 3. pag. 36. q. 3. §. Unicō.*
- Num etiamnum impræsentiarum duret Missio Apostolica, & Præfectura in Provincia? *P. & pag. ut suprà q. 4. §. Unicō.*
- Quoniam Conventus habeat mentionata Provincia? *P. 4. pag. 39. q. 1.  
§. 1. & seqq.*
- Memorabilia circa Conventum Csik Solyoviensem. *P. 4. pag. 41.  
Conventus suppressi. P. 4. pag. 46. §. 8. & seqq.*
- Residentiæ. *P. 4. pag. 49. §. 14. & seqq.*
- Domicilia Religiosa. *P. 4. pag. 50.*



